63022/B

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

POERNER, C.W.

ccl/d

U6

K. n. 14

CAROLI GVILIELMI POERNER

MEDICINAE DOCTORIS

DELINEATIO PHARMACIAE CHEMICO-THERAPEVTICAE.

LONDON·MEDICAL SOCIETY OF



LIPSIAE

APVD CHRISTIANVM GOTTLOB HILSCHER.

MDCC LXIV.

[illegible]

PRAEFATIO.

Offero Tibi, L. B. libellum, in quo chemiae applicatae partem cum pathologicis et therapeuticis doctrinis coniunctam deprehendis. Maxima ſane cum cura ad eum conſcribendum me accinxi, tum quia ardua res viſa fuit, argumentum per-

tractare, quod a methodo, hactenus conſueta, diuerſum eſſet et hanc ob cauſam a multis, niſi diſpliceret prorſus, aſſenſum tamen vix impetraret; tum etiam, quia rerum copia earundemque ſtatus imperfectus, nunquam ſane ad perfectionis gradum perducendus, a labore, qui ob difficultates, vix ſuperandas, fruſtraneus fere videretur, timidos deque imperfecto omnium ſcientiarum ſtatu iam certiſſimos plane deterrent. Vix igitur periculum feciſſem, niſi ei, quibus chemiae fundamenta et doctrinas de materia medica aliasque trado, quosque de attendenda rerum naturalium imperfectione et exquiſitiſſimo, in ea imminuenda adhibendo, ſtudio admo-

moneo, niſi, inquam, Amantiſſimi mei Auditores me ad id excitaſſent. Rerum namque naturalium, quae a nobis pertractantur, ſtatum imperfectum ſaepe exponens ſemper allaboraui, vt oſtenderem, quomodo hic rerum imperfectus ſtatus minui omnino poſſit. Nunquam enim vires vnius viri ad perficiendam hanc rem ſufficiunt, ſed requiritur, vt quilibet hanc vel illam rem ſingulari ſtudio perſcrutetur et, quantum poteſt, perficiat, quo demum, ſi a permultis hac ratione corpora naturalia tractata fuerint, difficultates in definiendis corporum effectibus certo minuantur ſicque in humanum genus certum et indubitatum redundet emolumentum.

 Cum

Cum itaque in praelectionibus quauis fere hora manuductionem ad diſquirenda corpora tradiderim, exponens, qua ratione chemia in vſum materiae medicae rite conuerti atque haec ipſa ita pertractari perficique poſſit, vt remedia obtineantur, quibus morborum cauſae feliciter deſtrui et tolli queant; cumque, haec mihi exponenti, methodus, ad quam in officinis pharmaceuticis, remedia praeparantur, non ſemper arriſerit, immo haec ipſa adeo comparata viſa fuerit, vt variae omnino mutationes ſuſcipiendae eſſent, in Auditorum meorum vſum pharmaciam delineare libuit, et talem quidem, quae oſtenderet, quomodo ſecundum

cundum morborum cauſas, in pathologia explicatas, et ſecundum doctrinas therapeuticas remedia, in varias morborum cauſas diuerſimode agentia, inueniri et rite parari poſſint.

At vero, quantae difficultates meditanti ſuboriebantur! Nonne officinae pharmaceuticae inſigni mutatione et correctione prius indigent? Nonne modus exponendus, ad quem illi inſtruendi ſunt, qui in praeparandis remediis occupantur? Nonne demum alia praeparandi methodus indicanda, quae ſimplicior et ab omni praeiudicio remota docet, quomodo pro diuerſis morborum cauſis labores pharmaceutici inſtituendi ſint?

Haec perpendens ſtatim a propoſito declinaui; cumque inſuper opus hoc ſuſcipiendum vnius hominis vires ſuperaret, rerumque ſtatus valde imperfectus a ſuſcipiendo hoc labore me dehortaretur, breuem tantum pharmaciae delineationem exhibere, hacque ipſa viam quaſi oſtendere decreui, quae, ſi permulti ea incederent, nos demum ad perfectiorem harum rerum cognitionem acquirendam omnino duceret.

Itaque delineatio haec oſtendit, quomodo officina pharmaceutica comparata eſſe debeat, quidue ei, qui illi praeeſt, obſeruandum ſit: in primis explicare anniſus ſum, quomodo

do pharmacopoeus eadem ratione, vt medicum decet, ſcientiis edoctus, immo arte medica inſtructus, ab ea autem facienda alienus, chemiam exercere et doctrinam de materia medica excolere, inque praeparandis remediis ſedulo verſari debeat. Expoſui igitur, ad quae reſpectu remediorum ſimplicium aeque ac corporis humani ei reſpiciendum ſit, quo poſtmodum ex eorum qualitatibus effectus generaliores definire nouasque vires eruere poſſit. Requiritur tamen, vt pharmacopoeus detectas vires cum medico communicet, quo iſte per experientiam medicam easdem ſtabilire queat. Optandum etiam eſt, vt medicus pari ratione de-

tectas remediorum ſimplicium vires pharmacopoeo cognitas reddat, quo iſte remedii mixtionem diſquirere, mutationes in eodem excitare, novamque mutati mixtionem producere poſſit, eum quidem in finem, vt medicus nouum remedium adipiſcatur, quo nouis compoſitisque morborum cauſis obuiam eundi nanciſcatur occaſionem. His expoſitis ad ipſas remediorum praeparationes accedenti mihi maxime neceſſarium viſum fuit, nonnulla de menſtruis pharmaceuticis praemittere et doctrinam de iisdem aliquantum amplificare. Cum enim menſtruorum ope pleraque remedia in primis fluida praeparentur, illorum autem numerus ad

hunc

hunc vſque diem in officinis exiguus ſit, ideoque remedia minus conuenientia obtineri poſſint, absque vllo dubio eundem menſtruorum numerum adaugendum eademque tum pro ſua tum pro remediorum indole varia varie adhibenda eſſe, putarem. Periculum hinc faciens oſtendo, quanta menſtruorum varietas attendenda veniat, quoue modo ea agant et quae producta inde obtineantur. Plurimis menſtruis hactenus notis vſus ſum, vt declararem, quomodo quodcunque, ad remediorum praeparationem adhibendum, menſtruum tanquam remedium conſiderandum, quiue reſpectu compoſitio-

ſitionis inter menſtruum et remedium ſimplex inſtituendus ſit ſelectus. Hanc ob cauſam effectum cuiuslibet menſtrui in corpus humanum, ſanum aeque ac morboſum ſimulque actionem in ſimplicia et rationem, quae ſit inter cauſam morbificam, remedium ſimplex et ipſum menſtruum expoſui. Ita tamen omnia, quae expoſita hic ſunt, conſideranda eſſe rogo, vt haec de menſtruis explicata doctrina pro ſpecimine tantum ſeu potius delineatione habeatur, ad cuius normam abſoluta demum exhiberi poſſit.

Acquieſcere his potuiſſem, niſi maioris perſpicuitatis ergo ad praeſcriptam normam ratio, quae inter menſtruum et remedium ſimplex eſſe debet, in exemplis exponenda et ad praeparationem, cum menſtruis et ſimplicibus inſtituendam, manuductio exhibenda eſſet. Ipſas itaque praeparationes demonſtranti et producta ſeu remedia pharmaceutica coordinanti mihi placuit, eum ordinem eligere, quem ipſae cum remediis inſtituendae operationes chemicae ſuadent. In explicandis his minime ad remediorum denominationes reſpicere libuit, ſed habitum remediorum ipſumque praeparandi

modum

modum perpendenti ordines et claſſes remediorum ſponte ſe obtulerunt. Fateor quidem, nonnullas adhuc operationes deſiderari ipſamque hanc delineationem imperfectam adhuc eſſe; verum argumenti dignitatem et imperfectum harum rerum ſtatum aliquantum me excuſare, cenſebis. Cum inſuper nequaquam abſolutum pharmaciae opus in praeſenti tradere ſed modum tantum, qui correctionem et ſecundum chemicas doctrinas, cum pathologicis et therapeuticis coniunctas, inſtituendam remediorum pharmaceuticorum praeparationem exponeret, exhibere animus fuerit,

multa

multa et adhuc laudanda remedia pharmaceutica, diu iam cognita, adducere eorumque praeparandi modum conuenienti loco inſerere non licuit. Niſi vero labores noſtri diſpliceant et Summorum Virorum aſſenſus denegetur, labores hos in vſum artis ſalutaris, quantum fieri poteſt, vlterius perficere et abſolutum magis pharmaciae, ad hanc delineationem conſcriptae, opus communicare, apud me conſtitui, ita, vt tum nota, tumque minus nota remedia, quae rite praeparantur et laudem merentur, inſimulque omnes praeparandi modi con-

iun-

iunctim exponerentur. Ita vale L. B. et Fauore Tuo, ad continuandos labores me excitante, dignum iudica: iterum vale! Dabam Lipſiae Menſe Maio 1764.

INSTITVTVM.

Corporum quorumcunque, in globo terrae obuiorum, naturam, proprietates et vires profunde eruit eorumque permulta adeo ad liquidam veritatem explorat chemia. Nobilis haec ars, ſi prudenter et rite colatur, non ſolum generi humano inſigni emolumento eſt, ſed eos ipſos inprimis, qui artem hanc exercent, ſedulo et efficaciſſime monet, vt perpendant, quanta Dei Omnipotentis ſit erga homines benignitas. Immo, multum in hac arte exercitati arrogantiam et philautiam fugere, contra modeſtiæ et deſpicientiæ ſui ſe tradere diſcunt. Diſcunt enim, quantum ſit, quod neſciunt. Egregiis itaque his dotibus ornata chemia cultores ſuos minime a religione auocat inque avia deducit, potius eosdem inſtruit, quomodo ex quacunque rerum creatarum atomo benigniſſimi Creatoris ſapientia eluceat, quoque modo corpora ſemel perſpecta in verum generis humani vſum conuerti debeant. Verum, cum vſus iſte tam varius ſit,

 fieri

fieri ſolet, vt a variis varie hæc ars et per partes tantum excolatur atque alii aliique, fundamentis chemiae generalis ſatis imbuti, hanc vel illam partem ſibi præ reliquis eligant et, quantum poſſunt, perfectiorem reddere allaborent. Ita alii chemicam artem in vſum phyſices exercent; alii, vt oeconomiae proſint; alii, vt mineralis regni prouentus adaugeant, vel vt variis artibus mechanicis aliisque auxilium ferant. Inter omnes tamen, quas præſtat chemia, vtilitates, illa inprimis inſignis et, niſi ſuperior, omnibus tamen æquiparanda eſſe videtur, quæ in medicinam tum theoreticam tum practicam præcipue redundat, quæque eo magis attendenda venit, quo majus commodum eſt, quod prouenire inde ſolet. Atque, cum finis medicinæ primarius in conſeruanda vel et reſtituenda ſanitate conſiſtat, huic autem fini obtinendo chemia egregie inſeruiat, illam laudatæ artis partem, quæ medica aut medico-pharmaceutica nuncupatur, præ reliquis excolendam et perficiendam eſſe, colligendum eſt. Tentabimus itaque, quantum fieri poterit, quanam ratione chemica ars, hactenus tam varie exculta, in vſum medicum conuerti poſſit. Minime tamen completam hic pharmaciam ſed pharmaciæ tantum delineationem tradimus, ita tamen, vt præcipuis momentis adductis, hisque per ſingula exempla illuſtratis ad normam eiusdem plura demum addi, et niſi diſpliceamus prorſus, aliquando etiam a nobis abſolutum pharmaciæ opus exhiberi poſſit. Ordinem tractandorum ſequens tabula exhibet. Siſtit nimirum

Pars I

Pars I. *Pharmaciæ ſtatum, agitque*

Cap. I. *De pharmaciæ neceſſitate et utilitate.*

— II. *De officinæ pharmaceuticæ qualitatibus.*

— III. *De pharmocopoei dotibus.*

— IV. *De pharmacopoei laboribus.*

Pars II. *Producta pharmaceutica in genere conſiderat, agitque*

Cap. I. *De qualitatibus remediorum inſitis.*

— II. *De qualitatibus remediorum pharmaceuticis.*

Pars III. *Præparationem et Vires remediorum pertractat; hinc agit*

Sect. I. *De menſtruis pharmaceuticis.*

Cap. I. *De menſtruis aqueis.*

— II. *De menſtruis ſalinis.*

Claſſ. I. *De menſtruis acidis.*

— II. *De menſtruis alcalinis.*

— III. *De menſtruis ſalinis mediæ indolis.*

— III. *De menſtruis inflammabilibus.*

Claſſ. I. *De menſtruis oleoſis.*

— II. *De menſtruis ſpirituoſis.*

— IV. *De menſtruis compoſitis.*

Claſſ. I. *De menſtruis ſalino-ſaponaceis.*

— II. *De menſtruis ſalino-oleoſis.*

— III. *De menſtruis ſalino-ſpirituoſis.*

— IV. *De menſtruis oleoſo-ſpirituoſis.*

— V. *De menſtruis ſalino-oleoſo-ſpirituoſis.*

Sect. II. *De ordinibus remediorum.*

Ordo. I. *De remediis fluidis.*

Claſſ. I. *De remediis per deſtillationem parandis.*

— II. *De remediis per infuſionem et digeſtionem parandis.*

— III. *De remediis per coctionem parandis.*

— IV. *De remediis emulſis.*

Ordo II. *De remediis ſolidis.*

Claſſ. I. *De remediis per coagulationem parandis.*

— II. *De remediis per præcipitationem parandis.*

— III. *De remediis per cryſtalliſationem parandis.*

— IV. *De remediis per ſublimationem parandis.*

— V. *De remediis per calcinationem parandis.*

— III. *De remediis conſiſtentiæ mediæ*

Claſſ. I. *De remediis per euaporationem et inſpiſſationem parandis.*

— II. *De remediis per liquefactionem et coagulationem parandis.*

Pars I.

PARS I.

PHARMACIÆ STATVS.

§. I.

Pharmacia, ſub quo nomine chemicæ artis pars hodie intelligitur, ſcientia æque ac ars nominari meretur, quæ docet, quomodo corpora naturalia, viribus medicatis vel iam inſtructa vel iisdem nondum donata ſecundum artis chemicæ dogmata eo adaptari debeant, vt facilius ingeri atque promtius et efficacius actionem ſuam in corpore exercere poſſint. Cum itaque pharmacia inſtrumenta ſuppeditet, quibus cauſae morborum ex corpore expelli poſſint, ſcientiam hanc maxime vtilem et neceſſariam eſſe, patet. Immo eadem hæc vtilitas atque neceſſitas cauſam dediſſe videtur, ob quam ars iſta a chemia ſeparata eiusque cura nonnullis in ſpecie tradita ſit, ita, vt non ſolum accurate exerceri ſed omni ſtudio coli perficique poſſet. Ob id igitur primo de vtilitate et neceſſitate pharmaciæ, dein de loci, in quo dicta ars exercetur, ſeu officinæ pharma-

ceuticae qualitatibus, tum de pharmacopoei dotibus, tandem de eiusdem laboribus agere, libet.

CAPVT I.

PHARMACIÆ NECESSITAS ET VTILITAS.

§. 2.

Cum in quouis naturae regno corpora deprehendantur, viribus actiuis inſtructa, quae ſolidis aeque ac fluidis corporis humani partibus mutationem inducere valent; quæritur ſtatim, vtrum corpus quodcunque, an potius nonnulla tantum, reliquis ſemper excluſis, obiecta pharmaciæ ſuppeditent. Licet namque corpora complura, in corpus humanum ingeſta, hoc ipſum mutent, quamuis tamen mutationem pro ſalutari habendam non eſſe, experientia docet. Sic alia, in corpus introducta, mutantur quidem, ſed ipſa corpus vix mutant, idque potius in naturali ſtatu conſeruant; hæcque alimenta dicuntur. Alia in corpore quidem mutationem ſubeunt, ſed ipſa partes corporis ſimul mutant et a peregrinis ſubſtantiis, conuenienti tempore ſi exhibentur, liberant ideoque mutationem ſalutarem inducunt: hæc medicamenta vocantur. Tandem corpora ſunt, quæ omni tempore conditionem quamcunque in naturali ſtatu eludunt et tantam mutationem inducunt, vt partibus corporis prorſus mutatis et laeſis corpus ad interitum diſponunt: hæc venena ſunt.

§. 3.

§. 3.

Ex triplici hac corporum differentia eſſentiali patet, quænam proprie pharmaciæ obiecta ſint. Minime quidem negandum eſt, et alimenta, ſtricte ſic dicta, interdum ſub quibusdam conditionibus ſalutarem quandam in corpore producere mutationem, noxiasque, in eodem haerentes, ſubſtantias in actione impedire poſſe; interim tamen, cum id non niſi ſub quibusdam conditionibus fieri ſoleat, corpusque his ipſis in naturali ſtatu conſeruetur, pro veris medicamentis eadem habenda non eſſe, putandum eſt. Porro et inter ea, quæ venena dicuntur, nonnulla, quæ certis ſub conditionibus, certa corporis conſtitutione, certo tempore ingeſta, corpori ſtatim non nocent, immo adeo prodeſſe videntur, reperiri concedimus: cum vero conditionibus his ceſſantibus indolem naturalem confeſtim manifeſtent et corpus deſtruant, haec quoque nunquam medicamentorum nomen merentur. At dantur tamen inter haec, quae extra corpus humanum mutata, in hoc poſtea ingeſta, ſalutares effectus exerunt, quae ob id demum medicamentorum nomine inſigniri poſſunt.

§. 4.

Corpora itaque naturalia, viribus medicatis iam inſtructa, praecipua pharmaciae obiecta largiri, nullus negabit, qui eſſentiale corporum diſcrimen perpenderit. Cum autem eadem haec corpora, prout natura ea largitur, ſaepe ob varias cauſas ingeri nequeant, eaque vel ob admixtas partes inertes vel etiam ob alimentoſas vel interdum etiam

ob venenatas adiunctas mirum in modum in actionibus immutentur, neceſſe eſt, vt impedimenta iſta remoueantur et particulae ſalutares actiuae ſeorſim colligantur. Id pharmaciam praeſtare, experimur.

§. 5.

Corporum naturalium, viribus medicatis inſtructorum, particulae conſtituentes non omnes actiuae ſunt, ſed iisdem nonnullae, immo ſaepe complures, inertes, intertextae deprehenduntur, ita, vt inertes hae vincula quaſi ſeu matrices ſiſtant, quae mobiles et ad agendum aptiſſimas particulas vel coercent, vel in actione iam conſtitutas moderantur. Id prouido naturae conſilio factum eſſe, modo plus ſimplici experimur. Sic corpora ad multum tempus absque iactura virium illibata ſaepe aſſeruantur *a*); corporum eiusmodi in corpus humanum introductorum, efficacitas diutur-

a) Cortex cinnamomi, gratum odorem ſpargens, ex particulis volatilibus, in motu iam conſtitutis et particulis fixioribus, nondum euolutis et motis, componitur. Si cortex integer manet, particulae iſtae volatiles, ſolo odore percipiendae, cum fixioribus coniunctae, non niſi poſt longum tempus penitus abeunt, et ex parte intus retinentur. Fac vero, contundatur cortex in puluerem ſubtiliſſimum, franguntur ſane plura vincula et particulae, in motu iam conſtitutae, minori vi nunc coercitae, multo breuiori tempore in auram abeunt, ſicque tota vis non multo poſt tota perit. Si id mechanica ſolutione fieri potuerit, quid expectandum erit a phyſica ſolutione? Committatur puluis cinnamomi odoratiſſimi, cum aqua coniunctl, vaſi deſtillatorio, euocentur vna cum aquae portione particulae cinnamomi odoratae volatiles omnes, exponatur aqua aeri liberiori, ſane vix dies aliquot numeraueris, meram aquam, nullo odore vlterius praeditam deguſtabis.

turnior (*b*) euadit; lenta particularum agentium euolutio producitur, atque lente ſic euolutis particulis talis haud raro particularum morbificarum mutatio ſuboritur, quae alias a particulis, vel maxime euolutis inque motu velociſſimo iam conſtitutis vix, immo ſaepe prorſus non obtinetur. Interdum autem eadem iſta vincula, in corpus humanum ſimul inducta, ipſa euoluuntur et, cum particulis agentibus adhuc connexa, in motum ducuntur; quocirca non ſolum vis validior ſed alia (*c*) ſaepe et particulis, per ſe iam actiuis et extra corpus iam in motu conſtitutis, contraria expectanda eſt. Interdum autem tam arctus deprehenditur vinculorum nexus, vt corporum ſimplicium particulae actiuae in corpore humano euolui prorſus nequeant et eiusmodi corpora, licet medicata vi inſtructa ſint, debilem (*d*) aut nullam prorſus actionem exerceant.

b) Homini, qui ob vermes, in inteſtinis hoſpitantes, extractum abſinthii ſumſit, ſed nullum inde reiecit, propinatur puluis abſinthii, cuius partes diu in corpore haerent, antequam vim ſuam et efficaciam amittunt, quid autem fit? prodeunt vermes. Sic purgans draſticum ſaepe nullum vermem expellit, qui tamen ſaepe euacuantur, quando remedia, mitiſſimo ſtimulo donata, ingeruntur.

c) Rhabarbarum aqueo menſtruo ſolutum ſicque ingeſtum aliter agit ac puluis eiusdem: vix enim ſolutum effectum roborantem edit, cum tamen puluis eiusdem manifeſte eiusmodi effectum exerceat.

d) Antimonii vis emetica non animaduertitur, quam diu ſulphur cum regulo coniunctum eſt: fac vero ſeparetur ſulphur, habebis emeticum, in ſubſtantia fere periculoſiſſimum. Immo antimonium crudum ingeſtum iners corpus eſt, niſi in corpore humano menſtrua reperiat, quibus ſolui poſſit.

§. 6.

Actiuae corporum particulae non vnius generis ſed natura ſaepe diuerſaé in vno corpore coniunctae reperiuntur, quae, ſi coniunctae manent nec ſeparantur, vnicum tantum conſpicuum effectum edunt, diuerſum plane ab eo, qui obſeruatur, ſi quando extra corpus *(e)* actiuae iſtae particulae disiunctae et a ſe inuicem ſeparatae fuerint. Vel accidit quoque, vt intra ipſum corpus particulae indolis diuerſae euoluantur, aliae tamen citius aliae tardius *(f)* hinc alii aliique inde producantur effectus. Sic roborantes cum reſoluentibus et purgantibus, ſic anodynae cum ſtimulantibus ſicque aliae cum aliis coniunctae inhaerent corporibus ſimplicibus particulae.

§. 7.

Haec ad corpora ſpectant, vi medicata, quoad totam mixtionem praedita: largitur quoque natura corpora, quae interdum et particulas ſalutares et particulas venenatas ſimul coniunctas, aut alias nutriendi facultate inſtructas, habent. Vel repe-

riun-

e) Radix Ialappae, in ſubſtantia vſurpata non adeo vehementem effectum purgantem edit, neque alia vis adeo conſpicua animaduertitur. Parte gummoſa ſeu gummoſo-mucilaginea a reſinoſa ſeparata alii plane effectus obſeruantur. Haec in paucis granis purgans drasticum praebet, illa vero, omni vi purgante deſtituta, diureſin mouet.

f) Optimum exemplum hic rurſus praebet Radix Rhabarbari. Particulae enim purgantes, primo euolutae, inteſtina ita ſtimulant, vt euacuatio aluina inde ſubſequatur. Harum particularum actione ceſſante roborantes plenarie euoluuntur earumque actio in ſubſequente alui exſiccatione conſpicua fit.

riuntur corpora, quorum particulae actiuae, quam diu coniunctae manent, noxiae exiſtunt, et in corpus introductae manifeſte nocent, quae vero, ſi ſeparantur vel cum aliis extra corpus coniunguntur ſubſtantias demum exhibent, medendi facultate omnino inſtructas (*g*).

§. 8.

His ſedulo perpenſis artis pharmaceuticae neceſſitas pariter ac vtilitas ſponte patet. Sed alia inſuper argumenta pro pharmaciae neceſſitate ex virium augmento, quod, remediorum ſimplicium partibus arte pharmaceutica disiunctis, ſuboritur, deſumi poſſunt. Actiuae enim particulae non ſolum hac ratione ab inertibus ſeparantur, ſed ſeparatae tunc propius ad ſe inuicem accedunt et coniunguntur, et coniunctae demum vi vnita fortius nunc in corporis humani partes vel etiam materiam morbificam agunt. Alia ſubinde promanat vtilitas, quae in eo conſiſtit, quod remediorum ſimplicium, arte pharmaceutica mutatorum particulae actiuae ſeparatae et ſibi inuicem iunctae in minori volumine (*h*) idem nunc praeſtent, quod cor-

g) In vitriolo communi ſaepe ſalutares particulae martiales cum noxiis particulis cupri coniunctae ſunt. In armoracia nutrientes cum medicatis combinatae deprehenduntur. Succus tithymali partes fouet, quae, ſi coniunctae manent, ſemper nocent et dictum ſuccum venenatum reddunt. Inter artis producta mercurius ſublimatus corroſiuus per ſe venenum eſt, cum aliis corporibus mixtus remedia largitur.

h) Grana duo aut tria myrrhae aut alius eiusmodi corporis, conuenienti menſtruo ſoluta, idem fere praeſtare, quod ſcrupulus eiusdem praeſtat, immo ſaepe multo citius et efficacius

corpora ſimplicia, non niſi multo maiori doſi ingeſta, praeſtare poterunt. Immo eiusmodi mutata corpora, ſi vires eorum disiunctae nunc quaſi collectae habentur, ſaepe etiam plus efficere, experientia docet. Praeterea ex eo, quod in minus volumen redactae ſint vires, alia iterum enaſcitur vtilitas, quae in aegrotantes inprimis redundat. Sic enim facilius nunc et commodius ingeruntur et nauſea euitatur, ſaepe excitata, ſi aegrotantes nonnulla remedia in maiori doſi deglutire coguntur. Alia etiam vtilitas eſt, quod, auxiliante pharmacia, corpora ſimplicia mutata variam formam induere et ſub varia forma ingeri poſſint, ita, vt remedia, ſaporis maxime ingrati, et ob id ſaepe reiecta, facilius nunc ab aegris aſſumantur.

§. 9.

Tandem ſolius pharmaciae auxilio variorum corporum partes actiuae ſeparatae denuo coniungi et vnius alteriusue aut plurium partes inter ſe inuicem miſceri ſicque noua remedia, nouis viribus inſtructa, produci poſſunt. Licet enim natura inſignem nobis largiatur remediorum copiam, quibus accurate compertis morborum cauſas debellare egregie valemus, tamen negandum non eſt, ipſam naturam, cum ſimpliciſſima ſemper ſit, nobis demum vix completa et conuenientia plane auxilia ſuppeditare poſſe, vbi morborum cauſae maxime compoſitae deprehenduntur. Atque cum in dies ciborum genera mutentur et multiplicentur,

cacius ob concentrationem virium agere, experientia confirmat.

tur, ideoque ſolidorum et fluidorum ſtatus inſigniter mutetur inſimulque materiae ſeu ſubſtantiae valde compoſitae in corpus introducantur, a mutatis ſolidis fluidisque vix ſuparandae, fieri ſolet, vt eae intra corpus accumulatae ſeminia morborum, itidem compoſita, ſiſtant et inſtrumenta indicent, quae mixtioni proportionata eſſe debent.

CAPVT II.

OFFICINAE PHARMACEVTICAE QVALITATES.

§. 10.

Qualitates officinae pharmaceuticae expoſituro ad corporum ſimplicium aeque ac arte productorum indolem et inſtrumentorum, quibus mutationes corporum auertuntur vel eaedem producuntur, naturam hic reſpiciendum eſt. In his enim omnem rei cardinem verti, hisque ipſis neglectis omnem officinae pharmaceuticae bonitatem in nihilum abire, experientia docet. De iis autem, quae ornamenti gratia aut ad facilitandos labores excogitata ſunt, hic diſſerere, ſuperfluum eſt; ſiquidem eiusmodi res, quae ad eſſentiam nihil quidquam faciunt, vel eandem neutiquam turbant, absque vllo detrimento abeſſe vel etiam admitti poſſunt, dummodo in obſeruándis iisdem excolendisque, cum tamen nihil ſaepe niſi fucum faciant, ne nimium ſe gerat resque praecipuas ob id negligere teneatur pharmacopoeus.

§. 11.

Corpora naturalia a rebus, externe haec ipſa circumfluentibus, vt aere, aqua, inſectis etc. mutationes pati, hisque mutationibus egregias vires perſaepe turbari, immo prorſus deſtrui, experimur. Porro quoque corpora naturalia, in diuerſis regionibus producta, quoad virium efficaciam mire ſaepe variare, conſtat. Hinc prima ſtatim cura in eo conſiſtit, vt corpora naturalia, vi ſalutari donata, optimae indolis in officinas deferantur, nec reſpectu bonitatis diuerſae eorundem vendantur ſpecies. Requiritur etiam, vt remedia ſimplicia, prorſus non mutata, egregiis viribus adhuc inſtructa, paucis, optimae indolis ſemper praeſto ſint, vilioris vero generis vel abiiciantur vel, quod melius, nunquam introducantur. Hoc ſi obſeruatum fuerit et adhuc ſedulo obſeruetur, medicus minime tenetur, et officinas intrare et ſimplicia diſquirere et ſelectum facere, antequam aegrotis ea propinentur.

§. 12.

Eadem etiam de corporibus, arte mutatis, ſeu productis notanda ſunt. Non enim nomina ſed vires ornant remedia pharmaceutica. Hinc curandum eſt, vt optime praeparata vnius eiusdemque generis remedia aſſeruentur. Cum autem haec vel in praeparatione vel in conſeruatione multo magis ac ſimplicia alterari poſſint, neceſſe eſt, vt non ſolum ad conficienda praeparata pharmaceutica optima eligantur ſimplicia, ſed et operationibus rite inſtitutis et ad finem perductis producta

ducta demum examinentur eorumque vires genuinae diſquirantur. Statim igitur abiiciendum vel denuo operationi ſubiiciendum eſt, quod alium ſaporem aliumque odorem, quam qui adeſſe debet, manifeſtat, aut quod debile deprehenditur, cum tamen fortius multo et efficacius requiratur. Itaque optima ſemper cuiuscunque generis remedia aſſeruanda neque, vti interdum mos eſt, bona et minus bona diuendenda ſunt. Neceſſarium etiam videbitur, vt in praeparandis remediis vnus idemque in omnibus officinis obſeruetur praeparandi modus, quo remedia aſſeruentur, quorum viribus, ſemel exploratis fidendum eſt. Diuerſas enim remediorum vires pro diuerſa praeparandi ratione produci, certum eſt.

§. 13.

Operationes pharmaceuticae inſtrumentorum ope perficiuntur. Haec ipſa actiua et paſſiua eſſe, chemia oſtendit. De actiuis alio loco hic de paſſiuis dicendum eſt: inter quae furni et vaſa inprimis conſideranda veniunt, quippe quae praecipua ſiſtunt inſtrumenta, quorum ope corpora inſignes ſaepe mutationes ſubire coguntur, ita, vt ex neglecta horum inſtrumentorum attentione ſalutares remediorum vires vel pereant prorſus vel, ob indolem mutatam, ſperatum demum effectum non edant, immo ſaepe noxium in corpore humano producant. Omnem autem ſupellectilem exponere, ſuperfluum eſt, cum de iis tantum, quae eſſentiales pharmaciae proprietates ſiſtunt, agere, animus ſit.

§. 14.

§. 14.

Inſtrumenta, in quibus corporum mutationes ſuſcipiuntur, vel mutata corpora aſſeruantur, varii generis vaſa ſunt, quae ratione materiae, ex qua conflata ſunt, et reſpectu formae, inſigniter differunt. In genere autem notandum eſt, vitrea vaſa ſemper optima eſſe, et, niſi ignis violentia obſtet, reliquis quocunque tempore praeferenda. In primis ea eligenda ſunt, ſi quando corpora ſimplicia vel remedia pharmaceutica ab omnibus iniuriis externis defendenda et vires eorum conſernandae ſint. Cum enim rite formatis nihil quidquam decedat, quod remediorum indolem alterare poſſit, contra vero habitus eorum ita comparatus ſit, vt omnis aer omnisque humiditas, breuibus, omnes quaecunque ſubſtantiae, ſubtiliſſimae adeo, ab aditu arceantur, hincque remedia illibata perſtent, optandum eſſet, vt horum numerus augeretur, contra vero ligneorum et metallicorum apparatus, niſi plane eiiceretur, certo tamen imminueretur. Et commode omnino ligneis metallicisue carere poſſunt officinae, ſiquidem omnia, quae in his aſſeruantur, remedia eodem modo et multo melius in vitreis aſſeruari poſſunt. Vel enim terrea adeo interdum in ligneis metallicisue mutari, ſcimus, quidni illis contingeret, quae odore et ſapore manifeſto inſtructa reperiuntur?

§. 15.

Vaſa, quae ipſis operationibus, deſtillationi e. g. digeſtioni etc. inſeruiunt, itidem vitrea ſint, aut ex vitreſcibili materie conflata, neceſſe eſt. Me-

Metallica autem, cum facillime arrodantur, particulasque materiis contentis admiſceant, maxime ſuſpecta ſunt. Niſi itaque ignis violentia obſtet, vitrea ſemper adhibenda ſunt, ſique ignis eis vti vetet, figulina demum eligere, conuenit. Haec tamen quoad materiem, ex qua conficiuntur, maxime variant: hinc ea tantum eligere praeſtat, quae neque ex pingui, neque ex macri adeo materie argillacea ſed tali componuntur, quae vitreſcibilis indolis ſunt, qualia v. g. vaſa figulina Waldenburgenſia eſſe ſolent. Ea enim ſatis compacta eſſe, neque ſubſtantias ſalinas, vti noſtris commune eſt, transmittere ignique, luto inprimis obducta, reſiſtere, experientia docet. Vel ſi ignis violentia haec quoque diſrumpat, materies demum, ex qua Waldenburgenſia conficiuntur, cum minutiſſime comminutis vaſis Ipſenſibus certa portione mixta, ſolitoque more cocta ſatis firma largitur vaſa, quae vehementiſſimo igni reſiſtunt ideoque ad operationes, vbi eiusmodi ignis gradus neceſſario requiritur, e. g. ad calcinationes, deſtillationes ſiccas etc. commode adhibentur.

§. 16.

Inter furnos, qui ad facilitandos, impenſisque paucioribus inſtituendos vel accuratius perficiendos labores pharmaceuticos non parum conferunt, magna hic varietas non requiritur, ſed vna fere vel altera, quae chemiae inſeruiunt, furnorum ſpecies ſufficit. Inter omnes, qui huc ſpectant furni, deſtillatorius inprimis neceſſarius eſt, qui modo peculiari conſtructus, praeter deſtillationem et aliis

operationibus ſimul inſeruire poteſt. Requiritur tamen, vt vna ſemper neque plures diuerſaeque in vno furno inſtituantur operationes. Vix enim laudem meretur conſuetudo, qua in officinis interdum vtuntur, quae praeter alios furnos ſic dicto *Pigro Henrico* ſuperbire dicuntur. Ipſum certe nomen naturam eiusmodi furni eiusque vſum exponit, idemque plus damni quam vtilitatis ſecum ferre videtur *(i)*.

§. 17.

Furnorum praeterea varietas ad pharmaceuticos labores nulla eſt. Plures enim in vno eodemque furno, tempore tamen diuerſo, ſuſcipi poſſunt. Sic deſtillatorius et digeſtioni et euaporationi etc. ſimul inſeruit, ſique alius forſan, ob operationis indolem, neceſſarius videretur, extemporaneus ſic dictus furnus, ex coctis lateribus, pro lubitu componendis, ſufficit. In eo enim et calcinationes et fuſiones aliaeque eiusmodi operationes, in pharmacia non adeo frequenter ſuſcipiendae, optime et bono cum ſucceſſu inſtituuntur.

§. 18.

i) Multiplices, quae in eo inſtituuntur, operationes, bono cum ſucceſſu parique euentu ſuſcipi non poſſe, certum eſt; ſiquidem alius aliusque ignis gradus ad hanc illamue ſemper operationem requiritur. Et ſi quoque plures vnius tantum generis operationes e. g. aliquot deſtillationes in tali furno inſtituuntur, iſte tamen nullius vtilitatis eſt, cum ignis regimen nunquam accurate obſeruari omnibusque conueniens applicari poſſit. Quodſi itaque plures operationes ſimul inſtituendae ſint, tot certe furni, quot ſunt labores, praeſto eſſe debent. Id autem absque vllis impenſis et absque vllo incommodo fieri poſſe, experientia nos docuit.

§. 18.

Furno cum veſica officinae commode carere poſſunt, quid? quod eum ex iisdem exulare, optandum eſt. Non ſolum enim ignauiae et feſtinationi occaſionem praebet, ſed etiam producta largitur, quae ſaepe nihili aeſtimanda ſunt, cum non raro ſubſtantiae in altum ſimul abripiantur, quae tamen retineri in fundo debuiſſent. Praeterea ob id quoque vſus eius maxime ſuſpectus eſt, quod veſica cuprea deſtillationi hic impendatur. Cum enim ea plerumque ſpiritus vini et aquarum odoratarum deſtillationi deſtinetur, in his autem ſubſtantiae deprehendantur, quae et cuprum et ſtannum, plumbo quippe adulteratum, ſicque cupro obductum (*k*) arrodunt, non poteſt fieri, quin ſuſpecta remedia et talia inprimis obtineantur, quae, noxiis particulis inſtructa, lentorum venenorum more corpus humanum clanculum et ſenſim tantum deſtruunt et ad interitum diſponunt.

k) Veſicas aeque ac alia vaſa cuprea, ſtanno, vt dicunt, obducta, minime puro ſtanno ſed hoc cum aequali portione plumbi mixto, a fabris aerariis obduci, compertum habeo; tale autem mixtum metallum ab acidis vegetabilibus leuiſſimis arrodi, expertus ſcio.

Stannum cum plumbo vſu diuturno conſumi, hincque cuprum nudum fieri, facile inde arrodendum, notum eſt: arroſum autem viride ſuum et ſpiritui vini et aquis deſtillatis communicare, hocque ſimul cum ſpiritu vini et aquis deſtillatis alembicum tranſcendere, experientia me docuit, ſiquidem ex ſpiritu vini, communi modo parati, ope vero balnei vaporoſi rectificati, veras particulas cupri arroſi obtinui, quae leniſſimo illo gradu aſcendere non potuerunt.

§. 19.

Furni balneis adornati ſint, neceſſe eſt; quorun quippe recta adminiſtratio inſignis vtilitatis eſſ ſolet. Inter ea, quae chemia enumerat balnea arenae, maris et vaporis balneum praecipue hu ſpectat: multum interim refert, quodnam eorun huic illiue operationi adhibeatur. Plurimun enim differt arenae balneum a maris vaporisu balneo, immo et haec variare, conſtat. Sic are nae balneum naturam corporum plerumque mu tat, cum tamen maris et vaporis balnea remedia naturalibus corporum virtutibus donata, largiantur Cum vero omnes operationes, in balneis ſuſci piendae, in his duobus perfici nequeant, arena etiam balneo ſua omnino laus manet. Interin notabilem illam, in tribus iſtis balneis obſeruan dam, differentiam ſemper quaſi ob oculos ponen dam et operationes, quae in hoc vel illo abſolut nec promiſcue ſuſcipi debent, ſollicite attendenda eſſe, ratio et experientia ſuadent. Niſi enim ho obſeruatum fuerit, nunquam certe remedia, v ſalutari perfecte inſtructa, ſed talia potius obtine bimus, quae, indole prorſus mutata et ob id vitiata non exiguo corpori erunt detrimento.

§. 20.

Arenae balneum notabilem ſatis maioremque quam maris vaporisue balneum, ſuſcipit ignis gra dum, tuncque inprimis neceſſarium eſſe videtur quando ex corporibus, ſiccioribus antea exiſten tibus, partes vere fluidae a ſolidioribus, quibuscun arctum connubium inierunt et ob id fixiores qua

facta

factae difficilius aſcendunt, ſeparandae et eliciendae ſunt, vti id deſtillatio ſpiritus et olei Cornu Cerui vel ſuccini oſtendit. Deinde et deſtillatio oleorum aethereorum, ope admixtae aquae ex corporibus eliciendorum, idem iſtud balneum requirunt. Haec enim olea cum aliis ſubſtantiis in corporibus coniuncta leniori illo maris vaporisue calore difficulter et raro ab admixtis ſubſtantiis ſeparantur ideoque maiorem ignis gradum poſtulant. Et licet aqua ſimul adiuncta ſit, haec tamen ob admixta corpora, oleis iſtis aethereis donata, ab arenae balneo maiorem caloris gradum ſuſcipere hincque olea facilius ſeparari et cum aqua tranſcendere inſimulque, ob magis euolutum tunc ſpiritum rectorem, egregias aquas deſtillatas obtineri, experientia oſtendit. Interim olea aetherea, ſemel prolecta et a ſubſtantiis fixioribus maximam partem ſeparata, optime in maris vaporisue balneo rectificari, haecque ideo tunc demum arenae balneo praeferenda eſſe, notandum eſt. Porro quoque ea corpora, quae fluidum, mobile licet, valde tamen elaſticum continent et ob id applicationem caloris aquae calidae aut vaporis aquoſi calidi aegre ferunt, itidem arenae balneum poſtulant, ita tamen, vt calor arenae in principio per notabile tempus aquae ebullientis calore multo remiſſior ſit, ſenſim ſenſimque adeo augendus, vt tandem calorem ebullientis aquae multo ſuperet. Exemplum praebet deſtillatio acidi nitroſi et acidi ſalis communis, quae ambo, acidi vitriolici ope a matricibus ſeparanda, optime in arenae balneo deſtil-

lantur. Tandem etiam corporum quorundam, per deſtillationem impetranda, combinatio arenae balneum requirit, ſi ea in maris balneo vel plane non vel minus ſufficienter obtinetur, quale quid in productione naphthae vitrioli aut nitri deprehendimus. In genere itaque acidorum mineralium aeque ac vegetabilium, dein oleorum aetheteorum et aquarum deſtillatarum, tandem fluidorum, ex ſiccioribus corporibus proliciendorum deſtillationem in arenae balneo optime ſuſcipi, monemus.

§. 21.

Maris balneum leniorem multo calorem vaſis communicat et talem quidem, qui naturalem corporum indolem non mutat, ſed mobiliores tantum partes, ſalua earundem natura, ab aliis fixioribus ſeparat, vel etiam corpora mobiliſſima egregie coniungit nouaque producta largitur. Hinc iſtud deſtillationibus compluribus et digeſtionibus fere quibuscunque inſeruit. Optandum itaque eſt, vt hocce balneo crebrius vtantur pharmacopoei, pluresque operationes in eo inſtituant, quas ob temporis duntaxat breuitatem, ſaepe tamen minus apte, in arenae balneo vel alia ratione ſuſcipere conſueuerunt. Licet enim priori modo plus temporis interdum impendere cogamur, id tamen ab egregio huius balnei vſu arcere nos minime debet, ſiquidem accurata remediorum praeparatio et genuina hinc virium conſeruatio plus valet, quam omnis et ſumma ſaepe laborum moleſtia.

§. 22.

§. 22.

Vaporis balneum pari ratione laudem meretur, immo, in pluribus perſaepe, praecedentibus balneis adeo praeferendum eſt. Non ſolum enim ob moderatum huius balnei calorem lenta partium volatiliorum a volatilibus ſeparatio ſed egregia quoque corporum diuerſorum, tum fixorum tum volatilium, obtinetur coniunctio, et certe eo fere modo, quo natura in combinandis corporum partibus vti ſolet. Eo itaque opus eſt, vbi volatiliora a volatilibus ſeparanda vel etiam volatilia cum fixioribus combinanda ſunt: hinc in eo deſtillationes quam plurimas, digeſtiones, remediorum concentrationes, euaporationes aliasque plures eiusmodi operationes inſtituendas eſſe, colligimus. Variat tamen huius balnei caloris gradus, prout vaſa vel profundius in hoc balneum colloces et ab omni aeris externi alluuie defendas, vel ei tantum imponas et aerem atmoſphaericum admittas: immo vltimum hunc gradum inſigniter etiam variare, experientia docet. Praeſtantiſſima autem remedia, hacce methodo obſeruata, parari poſſe et vere obtineri, crebra experientia edocti teſtamur, hancque methodum, ſi obſeruetur et vlterius perficiatur, medicis ob egregia, quae inde obtinentur, remedia multum omnino profuturam eſſe, certo praeuidemus.

CAPVT III.

DOTES PHARMACOPOEI.

§. 23.

Multa ſunt, quae pharmacopoeo incumbunt. Num recte faciunt, qui nobilem hanc artem, ſolidioribus doctrinis non inſtructi, ſed eodem modo vt dulciarii, nitri coctores aliique artifices opificesque artem tractant, exercere cupiunt? Nobis certe is tantum hoc nomen mereri videtur, qui phyſica corporum cognitione imbutus chemicisque dogmatibus edoctus vires corporum eorumque mutationes et actiones in ſe inuicem dignoſcere didicit, inque immutandis praeparandisque corporibus naturalibus operam ſuam collocat, eaque ita apta reddit, vt a medicis praeſcripta et ordinata in aegrotantium ſalutem applicari poſſint remedia. Optandum itaque eſſet, vt illi, quibus ars pharmaceutica hodie demandatur, eodem modo vt aliarum ſcientiarum cultores, neque vero opificum more, ad addiſcendam pharmaciam ſe applicarent inque exercenda hac arte, medicorum more, ſe gererent.

§. 24.

Inter plures, quas eruditi pertractant, ſcientias, corporum naturalium cognitio, eorumque mixtio et indoles eas largiuntur doctrinas, quas cognitas ſibi reddere debet pharmacopoeus. Cum autem talis ſcientia absque logices, phyſices et chemiae doctrinis recte addiſci nequeat, his ante omnia incumbat, neceſſe eſt. Logica namque ad cognitio-

tionem hanc recte acquirendam intellectum eiusdem informat; phyſica vero eum inſtruit, quae ſint fundamenta, ſecundum quae ad mutationes corporum attendere debeat; chemia denique eundem docet, quomodo corpora recludi et mixtiones eorum intimae hinc indoles et vires erui exacte queant.

§. 25.

Generalioribus his diſciplinis imbuto aliae ſpecialiores, ex ipſa arte profluentes, prae reliquis addiſcendae ſeduloque obſeruandae ſunt. Sic corporum ſimplicium, quae viribus ſalutaribus ditauit natura, hiſtorica cognitio ita acquirenda eſt, vt ea ſecundum notas bonitatis notiſſima ei ſint, quo poſtmodum remedia, egregiis viribus donata, recte praeparari poſſint. Deinde eidem incumbit, vt ſciat, quo tempore dicta corpora ad maturitatem perueniant, et viribus ſalutaribus nunc inſtructa reperiantur. Attendendum ei porro eſt, quae ſint mutationes ſpontaneae, quae vires iſtas vel deſtruant vel ita mutent, vt nouae prorſus ſaepeque prioribus contrariae producantur. Tum quoque tenendum eſt, quomodo in mutanda corporum mixtione ſe gerere debeat, et quibus inſtrumentis vtendum ſit. Tandem requiritur, vt ſciat, quaenam ſit productorum natura, quaeque eorum bonitatis habeantur notae.

§. 26.

Diſciplinis his ſatis inſtructo et ad exercendam hanc artem ſe accingenti pharmacopoeo alia rurſus incumbunt officia, quae, cum in recte praepa-

randis adornandisque remediis conſiſtant, eo magis obſeruanda ſunt, quo plura damna ex male praeparatis remediis enaſcitura certo praeuidemus, vel enata haud raro eſſe, per triſtem experientiam iam liquet. Inprimis negligentiam, feſtinationem lucriue cupiditatem ſemper fugiat, neceſſe eſt. Dici enim nequit, quantam ſaepe a re vel exigua alterationem patiantur corpora ſimplicia, viribus egregiis alias inſtructa, quod illi omnino teſtantur, qui in chemicis operationibus diu multumque verſati, omni cautione licet adhibita, experimentum ſaepe inſtitutum aliquando tamen ob res peregrinas, caſu accedentes, nunc non ſuccedere, ſciunt. Itaque attente et circumſpecte operationes inſtituere et producta rite examinare, pharmacopoeum decet. Plerumque autem egregia obtinentur remedia, ſi quando tantum temporis impendatur, quantum ipſa corporum mixtio, iam nunc mutanda et indoles eorundem requirere videntur. Sicut enim pruna aliique fructus ante maturitatis tempus dulcedinem ſuam perfecte non acquirunt, ita etiam remedia, arte pharmaceutica producta, vix vires iſtas acquirunt, niſi certum illud et ad quaſcunque operationes impendendum tempus patienter expectetur. Quodſi igitur ita ſe geſſerit, optima quaeque ſibi polliceri poterit remedia, quae optimam certe mercedem certiſſimaque nec vnquam defutura foenerabuntur laborum praemia.

§. 27

§. 27.

Dotibus hactenus recenſitis ornatus inque arte ſua ſatis exercitatus pharmacopoeus, rationalis iure nunc vocandus, in emolumentum artis ſalutaris aliud denique officium conferre poteſt, quando de corrigendis remediis nouisque adeo inueniendis meditari annititur, inque iisdem vere elaborandis continuo omnem operam collocare ſtudet. Cum enim talis vir a facienda medicina remotus prorſus eſſe omnemque vitam in praeparandis remediis conſumere debeat, optimam ideo corporum naturalium indolem diſquirendi eaque mutandi nanciſcetur occaſionem. Minime enim obiici hic poteſt et quaeri, vnde a praxi medica remotus pharmacopoeus de nouorum remediorum virtute medica certus eſſe poſſit? Sufficit certe, ſi ex indole particularum conſtituentium, accurate nunc diſquiſitarum et ex arctiori leuiorique earum cohaeſione earundemque in motum nunc ductarum maiori minoriue euolutione indigitare ſciat, quaenam materiae peregrinae, vel in corpore humano vel extra illud deprehendendae, mutationem (*l*) pati queant. Mutationem autem, quam

l) Effectus corporum in alia experimentis detegi, notum eſt. Quodſi nunc vires corporum medicatae explorandae ſint, experimenta cum his et illis corporibus inſtituenda ſunt, quae cum materiis morbificis corporis humani ſimilitudinem quandam habent. E. g. viſcidum, quod in corpore humano generatum et inductum cauſam morbificam ſiſtit et diuerſae indolis eſt, cum multis corporibus naturalibus, itidem viſcidis, ſimilitudinem habet, licet non negandum ſit, et intra corpus humanum nouam ſpeciem ſubſtantiae cuius-

quam materiae peregrinae in ſolidis aeque ac fluidis corporis humani partibus producunt, cognoſcere hasque materias remouere, medici eſt.

§ 28.

Sponte itaque patet, neceſſe eſſe, vt pharmacopoeus, qui corpus naturale quoad mixtionem, particularum indolem, harum euolutionem et euolutarum arteque pharmaceutica mutatarum motum, compertum ſatis habet, inuentum cum medico artem exercente, communicet, quippe qui corporum ſimplicium aeque ac arte pharmaceutica productorum efficaciam in corpus humanum inque ſubſtantias peregrinas, in eodem haerentes, optime per experientiam, ſolidis doctrinis ſtabilitam, diſcit. Cum enim medico, artem exercenti et de aegrotantium, complurium ſaepe, ſanitate reſtituenda quotidie cogitanti, impoſſibile ſit, omnia corpora, naturalia et arte producta, viribus ſalutaribus donata, quoad mixtionem, particularum vere agentium indolem et, quod maximum eſt, earundem euolutionem et motum, quo alia nunc corpora aggrediuntur, explorare, requiritur,

cuiusdam viſcidae produci poſſe. Interim inter ſubſtantias viſcidas ſemper aliqua deprehenditur affinitas, ita, vt experimenta, cum hoc vel illo corpore viſcido inſtituta, nos in anteceſſum iam inſtruant, quid ab hoc vel illo remedio, viſcidam quandam ſubſtantiam extra corpus humanum reſoluente, nunc in corpus humanum ingeſto, expectandum ſit. Cum autem viſcidum morboſum tam inſigniter variet, neceſſarium proinde videbitur, vt multiplicia inſtituantur experimenta, effectus ſubſtantiae ſeu remedii reſoluentis annotentur, et reſoluentia haecce remedia nunc a medicis tententur.

ritur, vt alius, qui in diſquirendis corporibus, vi medicata inſtructis, vnice verſatur, tale officium in ſe ſuſcipiat, quidue cognouerit, medico communicet. Quocirca medicus plura corpora, in quorum exploratione dies, menſes immo annos ſaepe impendit pharmacopoeus, intra paucas, vt ita dicam, horas quoad naturam, particularum indolem et motum earum plenarie comperta habebit atque ita aptus euadet, vt in detectas morborum cauſas nouis idoneisque inſtrumentis adornatus agere easque, his nondum detectis antea vix mouendas, optime ſaepeque facillimo negotio debellare et ex corpore eliminare poſſit.

CAPVT IV.

LABORES PHARMACOPOEI.

§. 29.

Licet pharmacia chemiae applicatae pars ſit, ideoque labores pharmaceutici iidem eſſe videantur, qui in chemia in vſu ſunt; complures tamen obueniunt, qui, cum reſpectu corporis humani et inprimis aegroti ſpecialiorem conſiderationem poſtulent, in chemia vel non attenduntur, vel breuiſſimis tantum minusque ſufficienter tanguntur. Hinc de iis pauca hic addere, operae pretium eſt. *R*edeunt autem iſti labores ad tria inprimis momenta, quorum primum ad remedia ſimplicia, alterum ad remedia pharmaceu-

ceutica ſeu ſic dicta producta, et tertium ad remedia, ſecundum medicorum praeſcriptionem ſtatim componenda, pertinet; qua quippe in re omnis occupatio omniſque laborum pharmaceuticorum conſiſtit congeries.

§. 30.

Labores, qui reſpectu corporum ſimplicium pharmacopoeo obſeruandi ſunt, et de quibus pauca §. 12. praelibauimus, in adornandis hiſce remediis iisdemque rite colligendis et ſeligendis pariterque depurandis et aſſeruandis conſiſtunt. Solicitum autem remediorum ſimplicium ſelectum, ita, vt optima ſemper proſtent, aegrotantium ſalus requirit; cumque corpora ſimplicia ſaepe partibus impuris, externe adhaerentibus, conſpurcata ſint, depuratio ante omnia locum habet, ita tamen, vt in depurandis iſtis corporibus neque nimius ſit pharmacopoeus neque cum impuritatibus ſalutares corporum vires ſimul auferat. Depurationem tamen valde neceſſariam eſſe, exinde patet, quod ſubſtantiae peregrinae adhaerentes non raro ipſae actiuae ſint, vel, ſi etiam viribus deſtituantur, in impedienda tamen remediorum ſimplicium efficacia multum valeant. Quod tandem ad aſſeruationem ſimplicium attinet, ad eorum naturam pharmacopoeo ſtatim reſpiciendum eſt. Primo igitur diſquirendum, ex quonam naturae regno hoc vel illud remedium ſimplex depromtum ſit, quaenam eiusdem habeatur indoles, quas ab atmoſphaera patiatur mutationes, num ſiccitatem aut humiditatem, calorem aut frigus aliasque eius-

eiusmodi affectiones perferat, num diſcindi, contundi aut integrum aſſeruari debeat etc., quae cuncta certe nihili aeſtimanda non ſunt, ſed ſolicite obſeruanda, cum, his ſaepe neglectis, optimae quorumcunque remediorum vires pereant vel adeo in peius non raro mutentur.

§. 31.

In inſtituenda remediorum pharmaceuticorum praeparatione, quae ſecundum laborum pharmaceuticorum ordinem conſtituit, ſequentia attendenda veniunt. Primo ſimplicia optimae indolis eligenda, deinde vaſa pura, nec vllis particulis peregrinis inquinata, adhibenda, porro ſimplicia cum aliis ſimplicibus ſecundum mixtionis indolem combinanda cumque iisdem operationes rite nec feſtinanter inſtituendae, tum productorum vires guſtu et olfactu et experimentis examinandae, tandem ea in vaſis conuenientibus aſſeruanda ſunt, ita tamen, vt in iisdem minime ad annos, ne quidem ad menſes, aſſeruentur, ſed ſaepe per annum praeparentur, quo genuina ſemper et efficacia habeantur remedia. Cum autem pleraſque operationes pharmaceuticas ſolutio vel antecedat vel comitetur, vel etiam vnice conſtituat, atque ad hanc perficiendam conuenientia inſtrumenta requirantur, inque his plurimum omnino poſitum ſit, neceſſe eſt, vt appropriata ſemper eligantur inſtrumenta, quae, ſi phyſice agant, menſtrua hic audiunt. De diuerſa autem horum menſtruorum natura deque varia eorundem applicatione parte tertia

tertia plura dicturi modumque, ea rite applicandi, expoſituri ſumus.

§. 32.

Tertius demum laborum ordo, qui in remediis ſimplicibus aeque ac pharmaceuticis, ſecundum medicorum praeſcriptiones, ſtatim componendis conſiſtit, id inprimis requirit, vt pharmacopoeus formulas, a medico rationali praeſcriptas, ſolicite perluſtret et ad componenda remedia ea, quae praeſcripta ſunt, eligat nec alterum alteri, ſi forte deficiat, ſubſtituat. Praeterea, ſi vnquam, hic certe reſpectu munditiei, vaſorum, in quibus remedia componuntur, curam habeat, nec eam vnquam negligat, cum alias remedia a re, pro nihilo habita, inſigniter perſaepe mutentur et aegroto damnum inde afferatur.

§. 33.

Cum etiam de nouis remediis inueniendis pharmacopoeo rite inſtructo et erudito, paucis, vere rationali, cogitandum §. 27. ſit, experimenta inſtituantur neceſſe eſt. Notamus tamen, minime a pharmacopoeo requiri, vt producta nouiter inuenta aegrotantibus ipſe exhibeat, ſiquidem de disquirendis et cognoſcendis morborum cauſis, hisque remouendis, quod vnice medici §. 14. eſt ſolicitus eſſe non poteſt. Si itaque de inſtituendis experimentis ipſi res eſt, id inprimis hic cupimus, vt productorum naturam, vim atque actionem in corpora, quae cum fluidis et ſolidis corporis humani partibus, in naturali ſtatu conſtituti, aeque ac morboſis redditis, analogiam aliquam

ha

habent, experiatur. Itaque producta, nouiter inuenta cum ouorum albumine, ſanguine, eiusdem ſero, bile et lacte commiſceat, tuncque ad mutationes ſollicite attendat et effectus accurate notet. Cum autem dictorum humorum naturalis mixtio in corpore mutetur et morboſa euadat, neceſſarium etiam eſt, vt pharmacopoeus ipſos iſtos humores, experimentis deſtinatos, varie mutet, mutatosque demum corrigat. E. g. ouorum albumini aut ſanguinis ſero, igne paululum coagulatis, producta ſua admiſceat et attendat, num priſtinum ſtatum recuperent; vel lac, acido coagulatum cum hoc illoue producto commiſceat inque priſtinum ſtatum reducere allaboret etc. Verum in hiſce ſolis acquieſcendum non eſt, ſed multo plura corpora naturalia, quae cum materiis morbificis conuenientiam alunt, eligenda cumque iisdem experimenta inſtituenda ſunt. Vt itaque hac in re ordine quodam procedat, ad humorum ſolidorumue ſtatum mutatum, §. 34. ad 38. uſque et §. 40. et 41. breuibus (*m*) explicatum, ei attendendum eſſe, arbitramur.

§. 34.

m) Licet haecce explicatio de morboſo humorum ſtatu, §. 34. ad 38. vſque deſcripto, maximam partem pathologica ſit, neque huc ſpectare videatur, vere tamen vtilem atque aptam ſatis cenſebis, ſi perpenderis, remediorum vires certo definiri non poſſe, niſi materiarum morbificarum mixtio et indoles cum mixtione et indole remediorum antea comparatae fuerint. Hinc morboſa humorum mixtio in genere tantum hic conſideranda eſt, quo remediorum demum effectus, ex indole mixtionis declarandi, eo melius determinari poſſint.

§. 34.

Humores corporis humani vel nimia tenuitate vel nimia ſpiſſitudine laborare, medici docent. Vt tenuitas nimia tollatur, medici eſt, talia propinare, quae gelatinoſam ſubſtantiam fouent, quippe qua optime tenuitas corrigi poteſt; cumque ea in corpore debili, ſolidis debilioribus inſtructo, nihil praeſtent, neceſſe etiam eſt, vt ea ſuadeat medicus, quae ſolida firment et eo diſponant, vt gelatinoſa ſubſtantia cum humoribus miſceatur ſicque tenuitas corrigatur. Id autem nutrientibus et ſolo diaetae regimine optime impetrari poſſe et vix quidquam ex officinis pharmaceuticis huc pertinere, experientia docet. Itaque experimenta locum hoc in caſu vix vllum habebunt. Verum cum humores reſpectu denſitatis naturalis et ſpiſſitudinis inſigniter aegrotent, et innumeri inde morbi, facie et natura diuerſi, dependeant, varia quoque inſtrumenta neceſſaria ſunt, quibus ſpiſſitudo illa tolli corrigique poſſit. Inter haec, inſtrumenta nimirum, multa quidem cognita iam ſunt, quae in tollendis nonnullis ſpiſſitudinis ſpeciebus multum omnino valent et per experientiam confirmata habentur; multa tamen ad permultas ſpiſſitudinis ſpecies tollendas adhuc deſiderari et omnino deficere, pariter conſtat. Hinc in hoc opere multum ſe exercere et innumera experimenta inſtituere tenetur pharmacopoeus. Tandem ad acrimonias attendendum eſt, quae vel cum humoribus tenuibus vel ſpiſſis coniunctae ſunt, ad quas tollendas ſeu corrigendas varia pariter

riter inſtrumenta, haecque per experimenta detegenda, neceſſaria ſunt.

§. 35.

Spiſſitudo humorum morboſa, ſi attente conſideretur, in genere triplicis inprimis indolis eſſe ſolet. Vel enim humores ita mutantur, vt partes aquoſae ſubito ſeparentur, et arctum ſtatim terrearum cum oleoſis producatur connubium, ita tamen, vt aliae oleoſae ſimul ſeparatae, in motum ductae magisque euolutae ſtimulum ſolidis inferant, humorum motum hinc augeant et aquoſas particulas diſſipent: quo facto inſignis humorum tenacitas inducitur, quae viſcidi inflammatorii notionem ſiſtit. Vel humores ſenſim paulatimque aquoſas particulas amittunt, tuncque terreae cum oleoſis magis coniunguntur, vel etiam nouae terreae ob aquoſarum defectum accumulantur, ſimulque connubium iſtud ineunt et inſignem tunc tenacitatem absque vllo tamen excitato humorum motu producunt. Tale autem viſcidum atrabilarium vocandum eſt. Vel demum partes oleoſae inprimis ſecedunt et terreae cum aquoſis abundant, ita tamen, vt interdum terreae emineant, interdum aqueae has ſuperent; quocirca tale viſcidum producitur, quod pituitoſum dici meretur.

§. 36.

Verum haecce viſcidi tantum genera eſſe, quilibet perſpiciet, ſpecies tamen innumeras hinc componi poſſe, facile coniiciendum eſt, in primis ſi ad immixtas acrimonias ſimul attendere velimus.

Ita in alia viſcidi inflammatorii ſpecie inſignis aquoſarum particularum defectus obſeruatur, tuncque tale coagulum producitur, quod magnam ſimilitudinem cum corio aut coriaceis ſubſtantiis habere videtur. In alia ſpecie cum viſcido hoc coriaceo acre quoddam oleoſum principium immixtum eſſe ſolet, hocque lardo corrupto, aut corio ſuillo, fumo indurato, ſimile eſt; in alia demum viſcidum inflammatorium non adeo tenax ſed rarum magis neque adeo cohaerens eſt, inſimulque acre quoddam oleoſum fouet, quod cum amurca affinitatem alit. Immo ſi frequentius hac in re colligantur obſeruationes, alias quoque huius viſcidi ſpecies repertum iri, certo nobis perſuademus.

§. 37.

In viſcido atrabilario oleoſae particulae abundantes talem humorum viſciditatem producere valent, quae cerae conſiſtentiae haud abſimilis eſt, vel terreae ſi abundant, viſcidum producitur, quod cum tenacitate cornea multum commune habet. Praeterea et cum priori et cum poſteriori alcaleſcens quaedam ſubſtantia commixta iam eſſe poteſt, vel, ſi in motum tale viſcidum ducitur, ſubſtantiam quandam, alcaleſcenti ſimilem, tunc demum produci, putandum eſt. Immixtum autem acidum hic reperiri vix videtur, licet idem tali viſcido interdum adhaerere non negandum ſit. Aſt alias ſubſtantias ſalinas, indolis ammoniacalis et oleoſo - ſalinae, immixtas hic eſſe poſſe, attenta morborum conſideratio oſtendit.

§. 38.

§. 38.

Eadem ratione ſe habet viſcidum pituitoſum, in quo particularum oleoſarum inopia deprehenditur, licet has ipſas prorſus abeſſe, concedendum non ſit. Eas tamen parciori in copia dicto viſcido ineſſe et terreas vel aqueas abundare, certum eſt. Ita terreae interdum abundant, tuncque tenax pituita producitur et talis quidem, quae cum viſco querno aut radice ſymphyti aliquam conuenientiam habet. In alia ſpecie plures aqueae deprehenduntur, inſimulque paulo plures quam in prima ſpecie immixtae reperiuntur partes oleoſae, reſpectu terrearum tamen et aquearum in multo minori copia ſemper deprehendendae, tuncque pituita albumini ouorum ſimilis eſſe ſolet. In alia rurſus acidum quoddam cum viſcido tenaci coniunctum eſt, et talis pituita cum pane atro Weſtphalorum, cum piſis, lenticulis, pulmentis acidis etc. conuenientiam alit. Immo datur quoque huius viſcidi ſpecies, vbi corrupta vnguinoſa materies admixta eſſe videtur, tuncque pituita quaſi producitur, quae corrupto caſeo ſimilis eſt. At vero, plures aliae omnino dantur ſpecies, non niſi per experientiam crebriorem definiendae; quid? quod nouas adeo viſcidi pituitoſi ſpecies in corpore humano in dies quaſi generari, probabile eſt, ſiquidem victus genera quotidie fere mutantur et noua quaſi perpetuo, in perniciem tamen corporis excogitata, ingeruntur.

§. 39.

Quodſi igitur talis materies viſcida in corpore deſtruenda eſt, et remedia ei opponenda ſunt, neceſſe omnino eſt, vt talia in officinis proſtent, quae eiusmodi materiem ſoluunt et deſtruunt. Cum autem reſoluentium, per experientiam ſtabilitorum, numerus, certe non exiguus, hic tamen minime ſufficiat, eaque ob mixtionem diuerſam n reſoluendis quibusdam materiis viſcidis parum ſaepe vel nihil praeſtent, maxime neceſſarium eſt, vt remedia excogitentur, quorum quoduis in hanc vel illam materiae morbificae ſpeciem efficaciam ſingularem exerceat eamque vere deſtruat. Vt itaque talia remedia, quorum natura, vis atque efficacia in corpora per experimenta detecta fuit, in manus medici veniant, tuncque eo certius corpori aegrotanti propinari et per experientiam medicam nunc confirmari poſſint, requiritur, vt ſecundum hanc normam, a nobis §. 36. 37. 38. expoſitam, a pharmacopoeo cum excogitatis remediis et corporibus, cum viſcido inflammatorio, atrabilario et pituitoſo conuenientibus, accurate et ſedulo inſtituantur experimenta.

§. 40.

Attamen haec, experimenta nimirum, non ſolum ob reſoluentia, ſed ob alia, alia virtute donata, ſuſcipienda ſunt. Ita multa adhuc latent corpora, quae certe ſingulari vi roborante aut adſtringente ditata ſunt. In aliis virtus haeret, hanc vel illam acrimoniam inuertendi, in aliis certe alia. Cum autem de his experimentis nondum liquide iudi-

can-

candum ſit, num productum, pro remedio habitum, vi forte deleteria inſtructum ſit, neceſſe etiam eſt, vt excogitata remedia animalibus propinentur, eum tantum in finem, vt comperiat pharmacopoeus, vtrum pro noxio iſtud cenſendum ſit nec ne.

§. 41.

Cum demum remedia corpori humano vivo applicanda ſint, idque aliquid in ſe foueat, quod ſenſibile et irritabile eſt, atque remedia ſenſibilitatem et irritabilitatem vel augeant vel imminuant vel nihil ad hanc rem faciant, alia iterum experimenta inſtituenda ſunt. Ad declarandam vero hancce rem multum valet guſtus et olfactus et inprimis experimenta, cum viuis animalibus capta. Quocirca id quoque, quod per crebrius inſtituta experimenta compertum habetur, ſedulo annotandum et vlteriori experientiae medicae commendandum eſt.

PARS II.

PRODVCTA PHARMACEVTICA.

§. 42.

Producta ſeu remedia pharmaceutica, quae pharmacopoeo obiectum artis ſiſtunt, ſunt ſubſtantiae, ſenſu percipiendae, quae ex mutatis corporibus naturalibus vel ſimpliciter eliciuntur, vel ex pluribus mutatorum corporum partibus denuo vnitis compoſita vique ſalutari inſtructa deprehenduntur. Cum igitur omnis labor pharmacopoei in recte praeparandis his remediis conſiſtat, atque ob id corpora naturalia impendantur, ita quidem, vt haec mutationem ſubeant, quo poſtea ſubſtantiae, vi ſalutari praeditae obtineantur, operae pretium eſt, ſi nonnulla de qualitatibus remediorum pharmaceuticorum praemittantur, ante quam rectum atque genuinum praeparandi modum exponamus. Itaque primo de qualitatibus remediorum horum inſitis, deinceps autem de qualitatibus eorundem pharmaceuticis pauca proponere, animus eſt.

CAPVT I.

QVALITATES REMEDIORVM INSITAE.

§. 43.

Remedia pharmaceutica ſimili modo, vt ſimplicia, agunt; hoc eſt, corporis humani partes magis minusue afficiunt et mutatio-
iem inducunt, qua inducta praeternaturalis cor-
ooris ſtatus tollitur, ſicque ſalutares effectus ma-
iifeſtantur. Effectus hos ab inſitis cuiuscunque
emedii qualitatibus, ſenſu percipiendis, ſeque in
orpore humano manifeſtantibus, ſimulque ab
pſa fluidarum ſolidarumue partium, apte iſtis
eſpondentium, conſtitutione dependere, certum
ſt. Atqui cum animalis hominum pars ſeu
orpus eorundem ex duabus tantum partibus,
luidis nempe et ſolidis, conſtet, his autem pecu-
iares qualitates inſint, quae a remediis ingeſtis
el augmentum capiunt vel imminutionem pa-
iuntur, ad haſce qualitates praecipue reſpiciendum
ſſe, arbitramur. Multum enim in hac re poſitum
ſſe, attenta in facienda medicina obſeruatio oſten-
lit; ſique verae et genuinae remediorum qualita-
es eruuntur et certo definiuntur, neque ad eas,
uae a peculiari quadam conſtitutione morbi aut
pſius aegrotantis natura dependent, nimis cito
eſpicitur, multum quoque vtilitatis in praxin re-
undare et ſic dictas vires ſpecificas multo facilius
xplicari immo et detegi poſſe, aſſerere non du-
itamus.

§. 44.

Primo ad irritabilitatem ſolidarum partium reſpiciendum eſt, quippe quae a remediis vel mediate vel immediate augeri minuique poteſt. Ad ſolida quod ſpectat, ex terra et glutine ea conſtare, certum eſt: gluten autem id eſſe, quod cohaeſionem efficit, obſeruationes et phaenomena ſuadent. Nunc gluten vel nimis ſpiſſum vel nimis tenue reddi poteſt, hinc cohaeſionem morboſe mutari, ſequitur. Porro gluten ex terra, aqua, ſalina et inflammabili ſubſtantia atque aere fixo conſtare, experimenta oſtendunt. Inflammabilis iſta ſubſtantia inter reliquas ad motum apta eſt, inque motu conſtituta reliqua mouet. Huic proxime accedit ſalina ſubſtantia, quae particulas quasdam in mixtione fouet, quae maximam cum quibusdam inflammabilis ſubſtantiae particulis affinitatem habent. Hinc itidem ad motum, lentiorem tamen, apta cenſenda eſt. Quamdiu igitur haecce principia cum terra et aqua coniuncta ſunt certaque mixtionis proportio manet, in glutine quies eſt: quodſi autem alterutrum iſtorum principiorum vel vtrumque a ſimili quadam ſubſtantia, in motu iam conſtituta, augmentum capit: mixtionis proportio mutatur, partes glutinis in motum nunc rapiuntur et quies ceſſat. Phaenomenon hoc irritabilitatis nomine hodie inſignitur.

§. 45.

Irritabile itaque cum Ill. *Hallero*, qui primus accuratam perſpicuamque huius phaenomeni explicationem dedit, in glutine quaerimus, id vero

ſi

ſe ipſum non mouere ſed motuum tantum capax in corpore animali viuo ab alia ſumme mobili ſubſtantia in motum duci, ſtatuimus. Id itaque, quod mouet, neruus habet. Atque ita in naturali ſtatu res ſe habere videtur. Minime vero negandum eſt, irritabile iſtud absque neruoſa materie a ſubſtantia quadam, in motu iam conſtituta inque corpus ingeſta, itidem in motum duci. Si enim compedes, quibus inflammabilis ſubſtantia retinetur, rumpuntur, vel ſi inflammabilis ſubſtantia a ſimili ſubſtantia, in motu tamen conſtituta, augmentum capit, ita, vt ipſa nunc compedes ſeu vincula rumpat, in vtroque caſu ſubſtantia iſta inflammabilis in motum erumpit et effectus ſequitur, qui irritabili adſcribitur. At vero, cum neruorum fibrae ſimul cum muſculari fibra connectantur, fieri etiam ſolet, vt plurium remediorum particulae, vtpote in motu conſtitutae, nerueis fibrillis ſimul applicentur, hasque afficiant; quo facto fluidum nerueum copioſius allicitur, aduectum vero fibram muſcularem irritat et ad motum diſponit, ſicque efficit, vt glutine mutato mutatio in fibra ſolida tuncque mutationes in fluidis, ab iſta dependentes, proueniant. Praeterea id quoque concedendum eſt, nonnullas remediorum particulas immediate in gluten fibrae muſcularis agere hocque mutare, ita, vt irritabilitas vel augeri vel imminui vel deleri prorſus poſſit.

§. 46.

Ergo prima remediorum qualitas irritatio eſt. Manifeſtatur ea et remediis ineſſe cognoſcitur ex ſti-

mu-

mulo, qui ore exceptus linguaeque (*n*) impreſſus ſenſum excitat, qui a ſapore adhuc diſtinguendus eſt. Quodcunque igitur remedium ſenſum in lingua excitat, id, irritantibus particulis inſtructum nos monet, haſce particulas in motu plus minus vehementi conſtitutas iam eſſe, et ſolidis partibus nunc intra corpus applicatas gluten eorum ita mutare, vt ea in motum cieantur. Iam vero eaedem fibrillis nerueis, in muſculari fibra diſperſis, applicantur, hincque fit, vt ſtimulo hoc, in ſenſorio communi percepto, fluidum nerueum maiori in copia affluat, hocque, vt ſtimulus iſte remoueatur, fibram muſcularem magis ſollicitet; quo facto fibra muſcularis, et a particulis remedii irritantibus et a fluido nerueo irritante irritata, ad ſtimulum remouendum magis apta redditur magisque mouetur, adeo, vt ſtimulus remotus nunc ad alias partes deferatur, vel intra corpus vires amittat vel demum ex corpore eliminetur.

§ 47.

Si remediorum particulae, in motu iam conſtitutae, cum aliis particulis minus actiuis vel plane iner-

n) Vitrum antimonii, regulus eiusdem aliaque corpora nullum ſtimulum linguae imprimere et tamen maxime irritare, notum eſt. Verum ad euolutionem particularum agentium hincque ad particulas vel adhuc quietas vel in motu conſtitutas attendamus, neceſſe eſt. Id enim certum eſt, ſubſtantias, quae linguae ſenſum imprimunt particulas agentes iam euolutas inque motu conſtitutas fouere, quae vero nullum ſenſum excitant et ventriculum tamen, inteſtina etc. vellicant et irritant, earum particulas in ventriculo tantum euolui inque motum duci arbitramur.

inertibus coniunguntur, ſicque in motu plus minus impediuntur, alia qualitas exoritur, a prima tamen non niſi gradu diſtincta, quae, cum per hanc ipſam in lingua ſenſus magis diſtinctus excitetur, ſapor vocatur. Is itaque oſtendit, remediis particulas ineſſe, in motu conſtitutas, hinc irritantes (*o*), ita tamen, vt, cum particulae iſtae actiuae ab aliis inertibus plus minus in actione ſeu motu imminuantur, remedia ſapore donata, fibram muſcularem quidem irritent, ſed minus, quam illa, quae abſque ſapore diſtincto vehementem et vrentem quaſi ſenſum linguae imprimunt. Primarias ſaporis ſpecies in dulcedine, aciditate, amaritie, ſalſedine reperies, reliquas, maxime compoſitas exque his prouenientes pro cardinalibus non habebis.

§. 48.

o) Corpora, ſapore donata, non adeo irritare ac ea, quae vrentem linguae ſtimulum, vt piper, oleum caryophyllorum etc. imprimunt, negandum non eſt. Minime tamen confundas ea corpora, quae ſaporis lenitate aut dulcedine incautos decipiunt inque ventriculum ingeſta, vehementer ſtimulant et inflammant, vt Baccae Mezeraei ſolent. In his enim cum particulis ſapidis, dulcibus, leniter ſtimulantibus, alias ſumme irritantes coniunctas, intricatas tamen, eſſe, non niſi in ventriculo aut aliis remotioribus partibus ſeſe euoluentes, ſtatuendum eſt, idque experimentis adeo interdum probatur. Ad euolutionem autem maxime reſpiciendum eſſe, multa phaenomena ſuadent. Sic cupri limatura, ſi nullum in corpore detur menſtruum conueniens, non ſoluitur, nec conſequenter euoluitur, hinc nullam noxam infert, menſtruo autem praeſente, e. g. acido, in inteſtinis hoſpitante, arroditur, noxiae particulae euoluuntur et multa deinde incommoda producuntur.

§. 48.

Cum gluten partes terreas coniungat, nexus plus minus firmus erit, prout glutinis indoles eſt. Id nunc vel laxius vel firmius reddi poteſt: hinc aliae duae qualitates remediorum notandae ſunt, quarum altera ſenſu adſtrictorio altera leniente vel demulcente vel emolliente in lingua manifeſtatur. Adſtringentia remedia, quorum leniora roborantia dicuntur, particulas quidem in motu conſtitutas, ſed alias, inertes, interdum intricatas magis, ſemper tamen in copia coniunctas fouent: hinc ea in corpus ingeſta fibraeque ſolidae applicata glutinis particulas mobiles in motum nunc ducunt, ſed ſimul inertes ſuas his implicant cumque mobilibus intertextas reddunt, ſicque glutinis particulas antea motas propriasque in motu conſtitutas figunt et gluten tenacius firmiusque reddunt.

§. 49.

Aliter agunt remedia, quae emollientem ſenſum linguae imprimunt. His enim particulae quidem motuum capaces inſunt, ſed adeo cum inertibus, compluribus quidem, coniunctae et fixae redditae, vt fibris ſolidis applicatae glutinis particulis ſe immiſceant et mobiles eiusdem ita ſeparent, vt quaelibet, ſolitaria fere facta, hinc inde remoram reperiens in motu imminuatur huiusque imminutionem plus minus patiatur, prout particulae inertes cum multis, motuum capacibus iisdemque adhuc intricatis, coniunctae vel parcius vel copioſius tuncque vel profundius et intimius vel laxius et ſuperficietenus glutinis particulas pene-

ne-

netrant. Quo facto, glutine nunc aucto particuliſque mobilibus in motu magis imminutis nexus ſolidorum laxior fit ſolidiſque ſtatus inducitur, qui laxitas vocatur; ſimul autem mobilibus iſtis glutinis particulis magis a ſe inuicem diductis inque motu valde imminutis irritabilitatem etiam imminui, ſequitur.

§. 50.

Attamen recenſitae hactenus remediorum qualitates mutationibus tantum, quas patiuntur ſolida, cauſas praebent. Quamuis autem quatuor duntaxat earum enumerentur, neque vnquam negandum ſit, adhuc plures deprehendi et dari poſſe, illas tamen cardinales ſeu praecipuas eſſe, reliquasque ex his componi, quiuis attentus rerum naturalium obſeruator concedet. Jam quoque qualitates commemorandae ſunt, quae mutationi in fluidis ſuboriundae occaſionem largiuntur, quaeque eodem modo ſuis ſe manifeſtare ſolent ſignis.

§. 51.

Fluida corporis humani pleraque, ſenſu percipienda, ex ſubſtantia aquoſa, ſalina, terrea et oleoſa componi, experimenta oſtendunt. Atque cum fluida haec itidem certo reſpectu cohaereant, cohaeſionem hanc a ſimili materie conglutinante, in ipſis tamen ſubſtantiis conſtitutiuis quaerenda, dependere, deprehendimus. Jam vero haecce materies vel nimis rara vel nimis denſa reddi poteſt; quocirca, cohaeſione nunc mutata, fluida vel nimis rarefacta vel condenſata nimis euadere, ſequitur.

Probe

Probe tamen et nimis aucta et nimis imminuta particularum conſtituentium cohaeſio a disiunctione et inſpiſſatione fluidi ſeu totius maſſae diſtinguenda eſt. Haec enim, disiunctio nimirum et inſpiſſatio, ad aggregationem duntaxat particularum ad vniuerſam maſſam allatarum pertinet, illa autem, cohaeſio nempe ad mixtionem cuiuslibet partis integrantis ſpectat. Ex quibus itaque, fluida vel nimis denſa nimisque rara, vel nimis ſpiſſa nimisque tenuia reperiunda eſſe, patet *(p)*.

§. 52.

Cohaeſionem hanc fluidorum ab ipſis remediis augeri nunc minuique poſſe, ex praecedentibus coniicimus. Itaque duplex remediorum qualitas notanda venit; altera, quae in producenda condenſatione, altera, quae in praeſtanda reſolutione materiae cohaerentis conſiſtit. Condenſantur fluida, quando ſubſtantiae aquoſae ſuperfluae vel auferuntur vel terreae et oleoſo-ſalinae ſuperadduntur cumque aquoſis exactae miſcentur. Raresi-

p) Differentiam hanc inter condenſationem et ſpiſſitudinem atque inter raritatem et tenuitatem vero fundamento niti, experimur. Sic ſanguis ſpiſſus neque tamen denſus eſſe poteſt. Si enim intra partes fluidi integrantes plures terreae absque cohaeſione arctiori accumulantur, fluidum quidem ſpiſſius fit, cohaeſio vero non augetur. Sic quoque aquoſae partes interdum accumulari poſſunt in ſanguine, neque eaedem cum ſanguineis particulis cohaerere. Hinc licet inſignis interdum copia particularum aquearum adſit, ſanguinis tamen particulas integrantes, naturalibus denſiores, diceremus fere, ſicciores deprehendi, hypochondriacorum et melancholicorum quorundam corpora, forte etiam hydropicorum, oſtendere videntur.

refiunt vero fluida, quando terreae ſubſtantiae et oleoſae vel imminuuntur vel aquoſae ſuperadditae cum terreis et ſalino-oleoſis arctius combinantur. Hinc alia remedia condenſantium alia reſoluentium nomine inſignienda eſſe, putabis. Condenſantia ſenſu adſtrictorio vel acido adſtringente vel amaro adſtringente, in lingua excitato, cognoſcuntur, reſoluentia autem ſaporem vel dulcem, vel acidum lenem vel ſalſum vel amarum vel vrentem vel ex his mixtum in lingua excitant.

§. 53.

Denſitatem a ſpiſſitudine et rarefactionem a te-nuitate diſtinguendam eſſe, monuimus: hinc duplex iterum enaſcitur remediorum qualitas, quarum altera inſpiſſationis altera attenuationis notionem inuoluit. Inſpiſſantur fluida, quando particulae terreae ſeu mucilagineae in fluidis coacervantur, neque tamen cum particulis conſtitutiuis intime coniunguntur, interim tamen has in motu conſtitutas refrenant motumque compeſcunt. Attenuantur vero fluida, quando particulae aqueae accumulantur nec cum particulis conſtitutiuis combinantur, ſed integrantes ab integrantibus diſiungunt et actiuitatem earundem imminuunt. Hocce igitur reſpectu alia remedia incraſſantia alia diluentia vocanda ſunt. Illa, incraſſantia nimirum, ſaporem vel viſcidum vel vrentem exſiccantem vel acidum auſterum adſtringentem excitant, diluentia blandam refrigerantem quaſi ſenſationem in lingua producunt.

§. 54.

Verum ad denſitatem non ſolum et raritatem, ſpiſſitudinem et tenuitatem humorum ſed ad blandam quoque et acrem eorundem indolem reſpiciendum eſt. Quapropter duae iterum notandae ſunt qualitates, quarum altera in inuolutione, altera in correctione acris conſiſtit. Conſeruatur blanda humorum indoles aut reſtituitur, quando particulae actiuae in euolutione vel impediuntur, vel euolutae iam inque motum praeternaturalem ductae inuoluuntur, ita, vt gluten elementare vlterius aggredi inque ſimilem motum ciere nequeant. Corriguntur vero humores acres, quando vel particulae naturales euolutae nouam prorſus indolem acquirunt cumque naturalibus rurſus coniunguntur, vel quando peregrinae particulae acres actiuae allatae vel aliam minus noxiam naturam induunt vel etiam in actiuitate deſtruuntur et ad eliminationem diſponuntur. Remedia, quae id praeſtant corrigentia, illa vero inuoluentia nuncupabis. Haec inuoluentia ſeu demulcentia ſaporem viſcidum blandum ſubdulcem excitant; corrigentia vero ſapore acido, amaro, dulci, ſalſo et mixto ſe manifeſtant.

§. 55.

Hae remediorum qualitates ſenſu, in lingua excitato, percipiendae vim ſuam atque efficaciam in fibram tantum muſcularem et humores, ſenſu percipiendos exercent; dantur tamen aliae, non niſi odore dignoſcendae qualitates, quae praeter vim, quam in fibra muſculari et humoribus pro-

dunt

lunt, aliam inſuper in neruos inprimis exercent. taque ad odorem gratum reficientem, foetentem, aput grauantem, nauſeoſum, balſamicum, ſpiri- uoſum et ſenſationem ſingularem, nares fortiter erientem, attendendum eſt. Ex his, tanquam rimariis, alias mixti odoris ſpecies produci, ex- erimur, quando ad eas qualitates attendimus, uae ſapore inprimis diſtinguuntur. Tale quid nim, quod ſaporis praecipue eſt, odore etiam di- noſci, certum eſt. Sic odor interdum dulcis, marus, vrinoſus etc. reuera diſtinguitur, quae vero pecies mixtae omnino cenſendae ſunt.

§. 56.

Remedia, odore grato reficiente, vt citri cortex, nſtructa ſubſtantiam ſimplicius mixtam, a parti- ulis inertibus fere liberam inque motu conſtitu- am manifeſtant, quae neruis excepta eorum flui- lum motumque huius augere videtur. Foetentia utem ſubſtantiam produnt, quae motum fluidi erueі fortiter refrenat, eundemque inordinatum actum tollit et regularem reddit. Fortius id praeſta- e ſolent, quae odorem, caput grauantem, de ſe ſpar- unt, quaeque tamen, ſi vehementius agunt, mo- um prorſus ſufflaminant. In vtroque caſu ſenſi- ilitas imminuitur et interdum tollitur. Nauſeo- us odor ſubſtantiam adeſſe denotat, quae motum uidi neruei accelerat, inſimul tamen irregularem eddit. Remediis, quibus balſamicus odor eſſe olet, ſubſtantia ineſt, quae nerueum fluidum quaſi ondenſare, condenſatum paulo citius et cum con- antia quadam mouere videtur. Aliter ſe habent

remedia, ſpirituoſo odore inſtructa: ea enim flui-dum nerueum citiſſime mouent et irregularem eiusdem motum nunquam corrigunt, immo re-gularem interdum irregularem efficiunt. Idem fere de illis dicendum eſt, quibus ſubſtantia valde volatilis, nares quaſi rodens et vellicans ineſt: quippe quae fluidum nerueum violenter mouet et motum eius irregularem ſaepe reddit.

§. 57.

Praeter hanc vim, quam in neruis edunt, odo-rata corpora, aliae etiam vires in fibra muſculari et humoribus denſioribus expectandae ſunt. Si-grate ſpirantia et reficientia remedia ſtimulum fi-brae muſculari applicant, diu non inhaerentem ſanguinisque partem oleoſam in motum quidem ducunt et attenuant, cum aquoſa tamen coniun-ctam ſeruant. Foetentia vero leniorem quidem ſtimulum inducunt, diutius tamen inhaerentem; oleoſam ſanguinis partem attenuant et mouent, aquoſam diſſipant et ſiccitatem inducunt. Idem fere valet de iis, quae odore, caput grauante, in-ſtructa ſunt. Haec enim paulo maiorem, neque tamen adeo vehementem, ſtimulum applicant, oleoſam ſanguinis partem vehementius paulo exa-gitant magisque exſiccant. Nauſeoſa quidem ſtimulum applicant, ſed, fluida alliciendo, debilita-tem inducunt, fluida attenuant et ad motum pu-tredinoſum diſponunt. Balſamica lente, conſtan-tius tamen fibram muſcularem ſtimulant, oleoſam quidem ſanguinis partem in motum cient, ſed cum terrea magis coniungunt, hinc motum putredi-

no-

oſum cohibent et cohaeſionem augent. Spiri-
toſa fibram vehementer ſtimulant, ſaepius tamen
pplicata irritabile quaſi delere videntur, fluida
rimo in motum ducunt, paulo poſt autem, fiui-
ioribus partibus diſſipatis, condenſant. Quae
ndem ſubſtantiam valde actiuam, volatilem, vren-
m quaſi naribus applicant remedia, ea et fibram
lidam valde ſtimulant, et gluten elementare diſſol-
int et vniuerſalem fere humorum reſolutionem
ducunt.

§. 58.

Notandum tamen eſt, omnes has recenſitas qua-
ates et augeri et minui poſſe, prout plures pau-
oresue particulae peregrinae, magis compoſitae
viſibiles cum mobili illa ſubſtantia, odore tan-
m dignoſcenda, coniunctae ſunt. Multum
item ab adiunctis his particulis dependere, quo-
die fere experimur, ſiquidem remedia odorata
iter agunt in ſubſtantia, aliter ſi diuerſimode ſo-
ta ſunt. Caeterum haec, quae hactenus dicta
nt, pro rebus mere inanibus habenda non eſſe,
rto perſuaſi ſumus, ſimulque optamus, vt ad odo-
m et ſaporem magis attendatur, haeque qualita-
s, accuratius diſquiſitae, magis magisque demum
finiantur.

CAPVT II.

QVALITATES REMEDIORVM PHARMACEVTICAE.

§. 59.

Habitus remediorum pharmaceuticorum externus, in genere conſideratus, idem fere eſt, qui ſimplicibus eſſe ſolet: cum vero ſimplicium partes, arte nunc mutatae et ex priſtino nexu diductae, aliam faciem induant inſimulque alium actionis modum inde acquirant, neceſſe eſt, vt generales eorum qualitates recenſeamus quidue hic attendendum ſit exponamus, antequam ad dictorum remediorum praeparationem progrediamur. Tres inprimis ſunt qualitates, oculis diſcernendae, quae totidem remediorum claſſes conſtituunt. Prima in fluiditate, altera in ſoliditate, tertia in ſtatu, inter eas medio, conſiſtit. De his igitur, tanquam praecipuis qualitatibus externis, earumque eſſentiali diſcrimine et diuerſa inde neceſſario dependente actione nunc agendum eſt.

§. 60.

Fluiditatis notio, ſi chemice et profundius res conſideranda ſit, in ſolo particularum cohaerentium motu continuo quaerenda eſt. Fluidum enim ea nobis dicitur ſubſtantia, cuius particulae integrantes continuo motu agitantur, nec minimo temporis interuallo quieſcunt. Cum vero impoſſibile ſit, materiae cuiusdam fluidae partes integrantes abſque ſoliditate cogitare, ad hanc ideo eiusque natu-

naturam reſpiciendum eſt. Solidae iſtae particulae, fluidum quoddam conſtituentes, admodum exiguae valdeque ſimplices ſunt, inque aggregatione conſtitutae aliasque ſui ſimiles attingent et non niſi a cauſa aliqua comprimente ſuperficie bus adhaerere coguntur, qua ſublata ſtatim a ſe inuicem diſſiliunt et a cauſa mouente, comprimentem cauſam ſuperante, in motum ducuntur. Praeterea quoque particulae illae ſolidae, fluidum conſtituentes, motuum leuiſſimorum valde capaces ſunt, ipſaeque, iam motae, ſe inuicem in motum ducunt, licet quaeuis ſolitarie exiſtens abſque alia cauſa mouente perfecte quieſcat nec ſe vnquam ipſa mouere poſſit. Ergo ad motum particularum, fluidum quoddam conſtituentium, earundemque indolem, ad motum ſuſcipiendum aptam motuumque capacem reſpiciendum ſicque actio huius fluidi in alia corpora deducenda eſt.

§. 61.

Fluida itaque remedia particulas fouent in motu iam conſtitutas. Cum vero remedia pharmaceutica fluida, nullo excepto, compoſita ſint, et partim fluida cum fluidis partim fluida cum ſolidis coniuncta proſtent, motum etiam particularum diuerſum ideoque totius maſſae aut remedii fluidi actionem diuerſam eſſe, ſequitur. Vel enim fluidum mobilius cum lentius moto coniungitur, atque ob id particulae alterius lentioris magis mouentur et mobilioris particulae in motu quodammodo refrenantur et nouus conſequenter motuum gradus producitur, vel lentioris fluidi particulae

adeo mouentur, vt mobiliores ab his ipſis magis inſuper agitentur et vtriusque demum moleculae in velociſſimum motum cieantur.

§. 62.

Alius fluidi motus eſt, ſi cum fluido ſolidiores partes coniunctae ſunt; cumque hae ipſae ad motum ſuſcipiendum eundemque etiam propagandum vel aptiſſimae vel minus aptae ſint et nonnullae adeo deprehendantur, quae motum quidem ſuſcipiunt neque tamen eum propagant, contra vero efficiunt, vt motus fluidi valde imminuatur fereque tollatur, diuerſos iterum motuum gradus produci, patet. Notandum tamen eſt, hos motus illis §. 61. deſcriptis, lentiores eſſe, magis tamen conſtantes, ideoque remedia, eiusmodi motu inſtructa certo reſpectu plus interdum praeſtare quam illa, quibus velociſſimus motus ineſſe deprehenditur.

§. 63.

Quodſi igitur remedia fluida praeparanda ſint, motum particularum conſtituentium ſemper attendendum eſſe, ſequitur. Atque cum fluida ad ſoluenda corpora adhibeantur, haec autem aeque ac illa inſignem ſaepe, ratione motus et conſequenter actionis etiam, patiantur mutationem, neceſſe omnino eſt, vt particulae corporis ſoluendi, ad ſuſcipiendum propagandumque motum aptae, a menſtrui ſeu fluidi ſoluentis particulis neque cohibeantur, neque motus earundem auferatur. Quocirca fluida, vt menſtrua conſiderata, ſi vnquam, hic certe aptiſſima eligenda ſunt. Cum autem

horum

horum aptitudo abſque diſquiſita eorum indole et actione propria vix vnquam certo innoteſcat, doctrina de menſtruis pharmaceuticis eorumque natura et efficacia in corpus humanum inque remedia ſimplicia praemittenda eſt; inprimis cum ſolidorum complurium praeparatio et remedia conſiſtentiae mediae ab iisdem dependeant omnino.

§. 64.

Aliam qualitatem remediis pharmaceuticis impertit ſoliditas. Statim autem notandum eſt, quaeuis ſolida vel ex meris particulis inertibus vel ex actiuis cum inertibus coniunctis conſtare. Perpendamus dein, plurima, quae in officinis occurrunt, ſolida particulis actiuis, in ſoliditatis tamen ſtatu quieſcentibus, inſtructa eſſe et cuncta fere menſtruorum ope praeparari. Cum autem menſtruorum particulae, in motu antea conſtitutae, nunc cum ſolidioribus coniunctae ad tempus quieſcant, dataque occaſione in motum cito rapiantur, accidit, vt ab iisdem motus non velociſſimi quidem, vehementiores tamen magisque conſtantes, quam a meris fluidis producantur; quocirca remediorum ſolidorum actiones aliter prorſus ſe habere, coniiciendum eſt.

§. 65.

Multum inprimis refert, vtrum particulae ſumme mobiles et actiuae cum minus mobilibus an cum plane inertibus coniunctae ſint. Illae enim, in motum nunc ductae, velocius in corpore mouentur, actionem tamen non adeo diuturnam ex-

ercent. Hac vero lentius quidem agitantur, ſed actionem diu continuant et ideo plus ſaepe praeſtant. Neque etiam parum intereſt, vt ſciamus, vtrum ſolidorum particulae cito an tarde euoluantur diuque, viribus agentibus integris, per corpus circumagantur. Nam quae cito euoluuntur partes, ſiue actiuae cum minus mobilibus ſiue eaedem cum inertibus coniunctae ſint, eae cito etiam viribus deſtituuntur, cum contra lente euolutae efficaciam diu retineant.

§. 66.

Cum inter fluidum et ſolidum alius detur ſtatus, qui medium quaſi tenet, remedia, in tali ſtatu reperiunda, conſiſtentiae mediae nomine inſignienda eſſe, et tertiam ideo remediorum qualitatem ſubuenire, deprehendimus. Eiusmodi ſtatus particulas, in motu iam conſtitutas iamque euolutas cum minus euolutis minusque mobilibus coniunctas, denotat, ita tamen, vt interdum euolutae inque motu conſtitutae interdum autem minus euolutae minusque mobiles emineant. Cum itaque et fluidae et ſolidae partes eiusmodi remediis inſint, ideoque eaedem etiam qualitates iisdem aſſignari debeant, multa hic repetenda ſunt, quae §. 61. 62. 64. 65. expoſuimus. Verum multum quoque intereſt, vt conuenientia cum ſolidis coniungantur fluida: alias enim ex confuſanea compoſitione remedia minus apta et actiones inde minus regulares produci poterunt.

❉ ❉ ❉

PAR-

PARS III.

PRAEPARATIO ET VIRES REMEDIORVM.

§. 67.

Simplicium remediorum vires arte pharmaceutica vel conſeruantur, vel augentur, vel corriguntur, vel imminuuntur vel demum prorſus immutantur, prout diuerſus adhibetur praeparandi modus. In hoc ſane, recte applicando eligendoque, multum adhuc deſiderari, quotidie experimur, et optandum eſt, vt ad elaboranda corpora ſimplicia et ex hiſce producenda remedia pharmaceutica plus temporis et laboris impendatur et praeparationum, hactenus vſitatarum, permultae corrigantur, inutiles minusque conuenientes aut ridiculae remoueantur, contra vero aliae, nouae vtiles et ſecundum chemiae fundamenta excogitatae, apponantur. Inprimis maxime neceſſarium eſt, vt menſtruorum numerus augeatur, neque vnum, vt cum ſpiritu vini fieri ſolet, ad quorumcunque fere remediorum fluidorum praeparationem adhibeatur. Cum itaque fluida remedia abſque menſtruis appropriatis recte praeparari nequeant, eademque etiam perſaepe ad ſolidorum praeparationem et ſemper fere ad praeparanda remedia con-

conſiſtentiae mediae requirantur, Sectione priori de menſtruis et poſteriori de ipſis remediis, ſecundum methodum, nobis praeſcriptam, praeparandis agamus. Vix tamen abſolutam de menſtruis expectabis doctrinam: pharmacopoeae enim ad chemica principia et experientias elaborandae noſtrisque temporibus accommodandae ſpecimen exhibituri praecipuarum tantum ſpecierum exemplum dabimus, ſimulque oſtendemus, quomodo vires genuinae erui, conſeruari nouaeque detegi poſſint.

SECTIO I.

MENSTRVA PHARMACEVTICA.

§. 68.

Menſtruorum nomine idem hic intelligendum eſt, quod in chemia ita appellatur, eo tantum diſcrimine, quod omnia, quae chemiae inſeruiunt, menſtrua in pharmacia vſurpari non poſſint, ſed ea tantum vtilia cenſenda ſint, quae per ſe, in corpus humanum ingeſta, ſalutares effectus producunt, vel peculiari ratione praeparata tunc demum ſoli pharmaciae inſeruiunt. Dicitur menſtruum pharmaceuticum ſubſtantia fluida, quae, vi ſalutari inſtructa, corpora naturalia, ſe ipſa denſiora ſoluit, ſeque his vnit et ſubſtantiam, vi ſalutari donatam, producit.

§. 69.

Cum ob inſignem mixtionum et compoſitionum diuerſitatem vniuerſale menſtruum inuenire, impoſſibile ſit, diuerſa itidem et permulta quidem menſtrua neceſſaria eſſe, ſtatuendum eſt. Omnia autem, quaecunque ſint quaeque etiam in poſterum detegantur, menſtrua commode ad quatuor claſſes reduci poterunt. Vel enim menſtrua aquea ſunt, vel ſalina, vel inflammabilia vel demum ex his varie compoſita, quae cuncta nonnullas quidem proprietates communes habent, ſingula tamen ob

pecu-

peculiarem indolem ſingularem quoque actionem hinc inde exercent ideoque diuerſa plane largiuntur remedia.

CAPVT I.

MENSTRVA AQVEA.

§. 70.

Aqua ſimplex, non deſtillata, omnis ſaporis, odoris et coloris expers et plane pellucida, fluidum ſiſtit, cuius particulae, quamdiu fluiditas cernitur, perenni motu agitantur. Egelida, in corpus humanum ingeſta, nullum ſtimulum fibrae ſolidae muſculari adfert, acrimonias, humoribus intime non inhaerentes, ſed adiunctas quaſi, quaſcunque diluit, vimque earum infringit et aliqua ex parte ſecum ex corpore ducit, materiem viſcidam laxioris texturae fluidiorem reddit et ad euacuationem diſponit, gluten naturale molle ſeruat, hincque in ſolidis humectationis effectum et flexilitatem inque humoribus fluiditatem producit et ad appoſitionem particularum chyloſarum earumque aſſimilationem quidquam confert; caeterum diureſin naturalem adiuuat. Idem, ſed maiori cum effectu praeſtat tepida, eademque gluten adeo emollit, vt ſolida magis laxa fiant. Calida autem ob plures, quas fouet, particulas igneas fibram muſcularem ſtimulat, fluida exagitat, aquoſas partes cum ſalinis ad ſe rapit, et ex corpore eliminat;

minat; hinc ſiccitatem in ſolidis et fluidis relinquit. Minus humectat frigida, multo minus adhuc gelida, mobiles particulas compeſcit; quapropter fibram roborat et ſenſilitatem minuit: minus etiam ea diluit nec acrimoniarum vim valde infringit.

§. 71.

Aqua fontana, vel pluuialis vel fluuiatilis deſtillata, aqua ſimplici, non deſtillata, purior natura tamen calidior eſt. Magis itaque fibram muſcularem afficit, frigida licet, minus tamen quam non deſtillata roborat, neque etiam tepida adeo humectat. Profundius penetrat, ſalinas ſubſtantias magis ad ſe rapit et humores magis attenuat. Calida fortius ſtimulat, fluida magis mouet humoremque perſpirabilem magis ac non deſtillata auget. Diureſin non adeo promouet ſiue ea tepida ſiue frigida ſiue calida ſit.

§. 72.

Aqua non deſtillata calida vel etiam ebulliens, corporibus naturalibus affuſa, partes volatiles, fere euolutas, in ſe ſuſcipit itidemque cum his partes quasdam fixas, ſaponaceas, mucilagineas, gelatinoſas, ſalinas et gummoſas extrahit ſeque his vnit. Aqua haec, cum corporibus decocta, dictas partes fixas, firmius cohaerentes, magis recludit et extrahit, immo adeo reſinoſas, cum gummoſis arctius connexas, ſuſcipit. Hinc quoties volatiles, odore percipiendae, partes ex corporibus extrahendae ſunt, calida ſeu ebulliens tantum affundenda eſt; et, quoties fixiores eliciendae ſunt,

eadem

eadem cum corporibus decoquenda eſt. Quodſi vero corpora et volatiles et fixas partes ſalutares ſimul continent, alius modus praeparationis neceſſarius eſt. E. g. lignum Saſſafras et volatilibus et fixis, vtrisque vtilibus, inſtructum eſt. Decoquatur certa quantitas dicti ligni cum aqua; remoto ab igne decocto, adhuc ebullienti aut ad minimum calidiſſimo, addatur denuo eadem eiusdem ligni quantitas. Stent cuncta per quadrantem horae aut vltra in digeſtione absque igne, et calidum vel etiam tepidum vſurpetur. Ita vis ſtimulans et reſoluens in tali decocto maior et conſtantior erit itidemque depuratio humorum fortior eodem obtinebitur.

§. 73.

Neceſſe etiam eſt, vt aqua vel fontana vel pluvialis etc. deſtillata in officinis proſtet. Licet enim ad potiones compoſitas a medicis plerumque aquae deſtillatae odoratae praeſcribantur, requiritur tamen, vt, ſi vires ſimplicium accuratius explorandae ſint, fluidum quoddam admittatur, quod nullam mutationem ſimplicibus inducit. Negandum quidem non eſt, plerumque ad obtinendum huncce finem aquam ſimplicem non deſtillatam deſtinari poſſe, nihilo minus tamen tum ob puritatem iſtius aquae, tum ob ipſos aegrotantes, qui aquae ſimplici non deſtillatae nullam vim adſcribunt, deſtillata praeſtat. Praeterea remediorum quorundam indoles eam adeo requirere videntur, niſi alias mutationem pati debeant. Sic emulſio ex aqua ſimplici deſtillata et amygdalis dulcibus para-

parata emulſioni ex iisdem ſeminibus et aqua ſimplici non deſtillata paratae praeſtat: illam enim multo ſapidiorem, gratiorem immo efficaciorem quam hanc habebis. Caeterum ſi potiones cum aqua ſimplici interdum ad duos, tres pluresue dies componendae ſint, deſtillata omnino ob euitandam corruptionem neceſſaria eſt; quapropter nunquam ea poſſunt carere officinae.

CAPVT II.

MENSTRVA SALINA.

§. 74.

Menſtrua ſalina fluida largiuntur, quae aquam ſalibus vnitam continent. Iam vero ſalinis quibuscunque particulis, in fluiditate conſtitutis, maior mobilitas et efficacitas a natura ineſt; hinc ab eiusmodi menſtruis maiorem efficaciam in corpore humano expectabis. Cum autem ſalia tam diuerſae indolis ſint, et ſingula quoque, ratione motus particularum inſigniter a ſe inuicem differant, multos etiam atque diuerſos inde dependere effectus, coniiciendum eſt. In genere igitur, reſpectu ſolidarum et fluidarum corporis humani partium, ſalibus ſtimulantem, exſiccantem, adſtringentem et roborantem vel relaxantem et reſoluentem vel etiam coagulantem vim ineſſe, notamus. Deinceps corporum ſimplicium, medicata vi inſtructorum, efficaciam, appropriata ſi adhibeantur menſtrua, augeri, id tamen,

prout corpus ſoluendum ſe habet, effectu vario perfici, putamus.

§. 75.

Menſtrua ſalina ad tres claſſes reducimus. Sunt enim vel acida, vel alcalina, vel media. Minime vero cuiuslibet claſſis ſpecies vna eademque ratione in humanum corpus agunt, neque etiam ſimplicibus corporibus adiuncta in producendis remediis vnum eundemque effectum edunt; quare ſingulas quasque ſpecies hic commemorare et efficaciam in corpus humanum et efficaciam in corpora ſimplicia exponere, libet. Itaque primo de acidis, dein de alcalinis, tandem de mediis eorumque effectibus inſimulque de vſu eorundem in componendis remediis pharmaceuticis agendum eſt.

CLASSIS I.

MENSTRVA ACIDA.

§. 76.

Acida menſtrua, in pharmacia vſurpanda, mineralis inprimis et vegetabilis proſapiae ſunt. Ex mineralibus huc praeſertim ſpectant acidum vitrioli, acidum nitri, acidum ſalis communis et acidum ſalis ſuccini; ex vegetabilibus vero acidum aceti et citri ſuccus. Quae cuncta vel per ſe corpori applicari poſſunt, vel cum aliis corporibus, vi medicata donatis, coniungi ſe patiuntur; tuncque remedia ſingularis indolis praebent.

§. 77.

§. 77.

Acidum vitrioli ea quantitate aquae ſimplicis deſtillatae dilutum, vt ſaporem quidem valde acidum in lingua excitet, neutiquam vero hanc ipſam laedat, ſolidam quidem fibram ſtimulat, ſed aqueas partes ex glutine quaſi extrahendo vel easdem cum oleoſis et terreis magis intimiusque combinando, eandem conſtringit. Fluida quaedam corporis humani e. g. ſanguinem, eius ſerum etc. coagulat, huncque effectum in his eadem ratione, vt in glutine ſolidarum partium animaduertimus, producit. Partes igitur ſanguinis, in motu conſtitutas, figendo et refrenando, circulum auctum compeſcit vel imminuit et in genere, inflammabilium partium motum cohibendo, motum circulatorium auctum et inteſtinum putredinoſum compeſcit, ſimulque reſolutum ſanguinem, niſi plenaria reſolutio iam facta fuerit, condenſat. Inprimis eam putredinis ſpeciem cohibere videtur, vbi in viſcido pituitoſo, cum pauca materie vnguinoſa coniuncto, motus demum ſpontaneus exortus viſcidum ab hacce materie ſeparare incipit, parteſque ſeiunctas noua ratione miſcet; quale quid in morbis continuis putridis, a bilioſa cauſa ortis, obſeruamus. In genere igitur dicendum eſt, a diluto hoc acido irritabilitatem, licet ab eodem ſub initio excitetur, vere tamen minui, motum humorum cohiberi ipſosque humores condenſari.

§. 78.

Raro quidem acidum vitrioli dilutum in pharmacia ad componenda remedia fluida in vſu fuit;

 inte-

interim cum ſubſtantiis dulcibus aut vnguinoſi coniunctum remedia praebet, certe non ſpernen da. Sic medicamenta impetrantur antiputrida quae fibram ſolidam non adeo conſtringunt et ex ſiccant, quaeque etiam per vſum diuturnum ne faucium nec interiorum partium ſmegma natu rale, ob nimiam alias condenſationem, facile de ſtruendum, nimis exſiccant.

§. 79.

Acidum nitroſum eodem modo, vt vitriolicum dilutum eadem fere ratione in corpus humanum agit, minus tamen exſiccat, neque adeo conden ſat et oleoſam ſanguinis partem cum aquea con iunctam magis ſeruat. Praeſertim oleoſam ſan guinis partem nimis exagitatam compeſcit, eam demque, ob motum inteſtinum reſolutorium a aquea ſecedentem, cum hac denuo quaſi coniun git, ideoque in putredine, vbi viſcidum inflam matorium in putrilaginem penitus ruit, optim vſus eſt.

§. 80.

Inter alia, quae cum acido hoc diluto coniung poſſunt, corpora, mellea in primis ſaccharina, aro matica non adeo calida et dulci ſapore donata tandem balſamica et gummata reſoluentia hu ſpectant. Ita namque remedia producuntur, qua in motu circulatorio nimis aucto vel in putredine a cauſa inflammatoria orta, effectu ſuo nunquam deſtituentur.

§. 8

§. 81.

Et acidum ſalis communis, methodo §. 77. dilutum, menſtruum ex parte praebet, quod vel per ſe vel potius cum aliis corporibus coniunctum ſalutares effectus edere valet. Interim caute cum eodem mercandum eſt, ſiquidem dilutum quoque ſingulari modo in terram animalem agit, hancque a reliquis partibus auellit, atque ita eroſiones producit. Denſat quidem fluida, quare etiam ſolida exſiccat; ideoque eadem ratione motui circulatorio aucto vel inteſtino quoque putredinoſo aduerſatur; ſed minus tuto ob allegatam cauſam interne propinandum eſſe, putabis. Exterius tamen, vbi vlcera putrida a ſcorbuto alcalino orta ſunt, cum melleis corporibus mixtum egregium remedium antiſepticum largitur.

§. 82.

Succini ſal, rite depuratum et ſufficiente quantitate aquae ſolutum, ſingulare menſtruum acidum praebet, quod neque cum minerali neque cum vegetabili vllo comparandum eſt, cuius acidum ſal, ab acido primigenio forte ortum, tam a mineralibus quam a vegetabilibus admixtum quidquam habet et oleoſam praeterea ſubſtantiam in ſinu fouet. Menſtruum hoc in corpus humanum ingeſtum fibram muſcularem non leuiter ſtimulat, oleoſam humorum partem in motum ducit et attenuat, neque tamen ab aquoſa ſeparat. Fluidum nerveum vix exagitare videtur, potius motus eiusdem nimios componit et irregulares corrigit. Quo facto putredini, a viſcido pituitoſo vnguinoſo

lente ortae reſiſtit, et ſpaſmos, a ſimili cauſa excitatos, compeſcit; praeterea diureſin mouet et putridum ibi haerens corrigit et ex parte aufert, inque omnibus fere morbis conducit, vbi lentor humorum eſt, et vbi vel viſcidum mere pituitoſum vel idem cum vnguinoſa ſubſtantia coniunctum cauſam praebet. Cum ſubſtantiis balſamicis graueolentibus vel etiam foetidis digeſtum remedia largitur, quae ſimilem efficaciam ſed maiori cum effectu produnt et interdum neruos ſingulari modo afficiunt.

§. 83.

Acetum vini optimum, non deſtillatum, compoſitum magis acidum, plures partes aqueas nec paucas oleoſas cum ſpirituoſa ſubſtantia coniunctas fouet. Gluten cohaeſionis nimis laxum pituitoſum aquoſum leniter denſat, idem ſiccum magis, tenax, aqueis particulis fere orbatum emollit. Hinc eo reſpectu fibram ſolidam vel firmat vel leni modo emollit. Caeterum irritabilitatem vel reſtituit vel conſeruat. Sanguinem et ſerum eiusdem nunquam coagulat, fluiditatem eorum potius aliquantiſper auget, ita tamen, vt humores nimis aquoſos et pituitoſos paulo denſet, tenaces vero et aqueis particulis orbatos attenuet. Praeſertim oleoſam ſanguinis partem cum aquea coniunctam ſeruat, vel ſeparatas fere rurſus vnit. Ob ſpirituoſas particulas cum neruorum fluido miſcere ſe videtur, hocque grate afficit et irregulares eius, vel a defectu vel ab acri quodam principio non acido productos, motus regulares reddit.

Quam

Quam ob rem fibrae muſculari lenem ſtimulum, tum per ſe tum ob auctum fluidi neruei, ad fibram muſcularem adducti, motum regularem, applicat, inde ſanguinis motum paulo accelerat et inteſtinum, tum ob auctum circulum tum ob proprias vires applicatas, tollit ideoque putredini plane reſiſtit.

§. 84.

Acetum vini deſtillatum acidas quidem cum ſpirituoſis coniunctas partes continet, pluribus tamen oleoſis deſtitutum eſt. Quapropter magis roborat, minus diluit et vix humectat; ſanguinem magis exagitat neque vero oleoſam ſanguinis partem ab aquoſa ſeiungit; nerueum fluidum magis mouet, nec vnquam tam grate afficit. In genere hocce acetum calidum magis eſt, fortius ſtimulat et putredini, licet minus quam non deſtillatum, reſiſtit.

§. 85.

Laudabile hoc menſtruum proficua admodum largitur remedia. Optime enim cum volatilibus et ſpirituoſis particulis itidemque oleoſo-reſinoſis vel gummeo-reſinoſis partibus corporum valde odoratorum miſceri ſe patitur. Inde non ſolum optima remedia diaphoretica, omni exaeſtuante vi deſtituta, ſed vera quoque antiputredinoſa obtinentur. Pari quoque ratione egregia neruina remedia in morbis, a defectu fluidi nervei vel eodem parcius influente exortis, vſurpanda dicti menſtrui ope praeparantur. In componendis remediis roborantibus, ſi ſubſtantiae mucilagineo-

terreae vel etiam ſalino-terreae ei adiunguntur, bene ſe gerit. Cum dulcibus et mucilagineo dulceſcentibus mixtum reſoluentia antiputrida, grate reficientia et leniſſime ſtimulantia exhibet. Tandem cum alcalinis vel terreis vel etiam metallicis quibusdam corporibus coniunctum his adeo ſe vnit, vt nouae ſubſtantiae, nouis iisdemque ſaepe generoſe agentibus viribus inſtructae, producantur.

§. 86.

Aceti deſtillati vires tam late non patent; quare iſtud, vt menſtruum pharmaceuticum, non adeo proficuum eſt, licet non negandum ſit, et hoc interdum ad ſoluenda quaedam corpora abſolute neceſſarium eſſe. Si tamen ſuper corpora quaedam valde odorata, fragrantia vel etiam grate ſpirantia deſtillatur, ita tamen, vt omne empyreuma praecaueatur, remedia obtinentur, quae, ſubtiliſſimis mobiliſſimisque particulis ditata, in morbis quibusdam lentis et continuis putridis, vbi fluidi neruei inopia eſt, vel iſtud adeo forſan aliquanto corruptum, laudabili effectu nunquam deſtituta eſſe videntur.

§. 87.

Citri ſuccus, nullis particulis ſpirituoſis impraegnatus pluresque acidas cum mucilagineis coniunctas fouens, fibram muſcularem, ob gluten nimis aquoſum relaxatam, aqueas partes diſſipando acidasque ſuas cum mucilagineis applicando, roborat: minime tamen conuenit, vbi idem iſte ſtatus cum acida acrimonia coniunctus eſt. Humo-

iorum fluiditatem conſeruat, acrimoniam ranci-
am et alcaleſcentem, cum viſcido atrabilario ſaepe
oniunctam inuertit, bilis efficaciam infringit, te-
acem tamen et viſcidam neque vero pituitoſam
eque acidam corrigit. In genere citri ſuccus
nagis adſtringit quam acetum, minus contra ſol-
it; putredini vero, quae a cauſa bilioſa, ſangui-
em humoresue inquinante, prouenit, reſiſtit.
Caeterum diureſin promouet neque ita diapho-
eſin.

§. 88.

Raro ſuccus citri vt menſtruum vſurpatur, po-
ius per ſe vel cum aqua dilutus aegrotis exhibe-
ur. Cum corporibus tamen dulcibus et dulce-
ſcentibus mixtus et digeſtus remedia largitur,
quae viſcidum atrabilarium ex parte ſoluunt vel
ad ſolutionem certo disponunt, tuncque inſimul
putredinem nondum euolutam impediunt et ma-
teries peregrinas per renes praeſertim educunt.

CLASSIS II.

MENSTRVA ALCALINA.

§. 89.

Sales alcalini tum fixi tum volatiles, cum ſuffi-
ciente quantitate aquae coniuncti, menſtrua
praebent, quae in vſum pharmaceuticum con-
verti poſſunt. Tanta quidem, quae ab acidis pro-
venit, vtilitas ab alcalinis menſtruis expectanda
non eſt, haec ipſa tamen, ſi vel per ſe vel cum aliis

corporibus coniuncta ſunt, ob peculiarem effic: ciam, quam in acidum morboſum et viſcidum cum acido coniunctum, exercent, contemnenc non eſſe, experimur. Inter fixa alcalia praecipu pura aligenda ſunt, et inter haec ſolutum ſal tarta aut eius oleum per deliquium, et cinerum clauell: torum ſolutio eorundemque per deliqueſcentiar productum liquamen huc ſpectat. Ex volatilibu autem ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplex et ſpiritu cornu cerui reliquis praeferendi inque pharmaceu ticum vſum ducendi ſunt.

§. 90.

Menſtrua alcalina fixa aqua deſtillata ſimplici e: vsque diluta, vt linguam nequaquam laedant, i fibram muſcularem valide agunt, hancque vehe menter ſtimulant, ita tamen, vt, ſi diutius paul continuentur vel in largiori quantitate propiner tur, omnem fere ſtimulum auferant. Material enim cohaeſionis gluten adeo attenuant, ſeque vniunt, vt eo, a terreis partibus ſeparato, continu tas cumque hac demum ſtimulus tollatur, vel ac modum imminuatur. Pari quoque modo humc res corporis reſoluunt, et naturalem denſitatem ab arcta cohaeſione partium oleoſarum cum aquei terreisque dependentem, inſigniter minuunt, tar tamque fluiditatem inducunt, vt denſitate imm nuta ſtimulus, ab ipſis fluidis ad ſolida applicandu: ceſſet. Quo facto motus progreſſiuus, primo l cet auctus, diu poſthac non continuatur, ſed infr naturalem multum imminuitur. Cum vero ex ſolutae particulae oleoſae, cum alcalini menſtru

part:

particulis coniunctae, in mobilitate, vltro continuanda, non imminuantur, ſolidae autem partes ob humorum denſitatem deletam et imminutam irritabilitatem rite reagere motumque progreſſiuum, vt par eſt, nec continuare nec debite intendere poſſint; inteſtino tunc particularum iſtarum motu aucto plenaria humorum reſolutio producitur et ille ſtatus ſubnaſcitur, qui in genere putredo audit.

§. 91.

Haec in naturali ſolidorum fluidorumue corporis humani ſtatu praeſtant menſtrua alcalina; aliter paulo in praeternaturali ſeu morboſo eorundem ſtatu ſe gerunt. Viſcido enim pituitoſo in humoribus accumulato ſanguinis humorumque particulas naturales vehementer adeo non aggrediuntur, ſed in viſcidum vim ſuam dum exercent, multum virium, nunquam tamen penitus, amittunt; cumque in tali humorum ſtatu ſolidae etiam partes ob gluten nimis laxum relaxatae ſint, harum etiam laeſio tam cito metuenda non eſt. Semper tamen perpendendum eſt, et ſolidorum habitum et fluidorum indolem ſimul affici, remediisque his diu praeter modum et inconſiderate vſurpatis, motum inteſtinum, viſciditate vltro non obſtante, induci et vniuerſalem fluidorum reſolutionem ſuboriri. Praeterea acidam humorum acrimoniam egregie inuertunt et viſcidum inprimis cum acido coniunctum deſtruunt, hinc morbos, a tali cauſa dependentes ad ſanationem omnino diſponunt. Vix autem proſunt, vbi viſcidum atrabilarium morbis anſam praebet, multo minus, vbi

cum

cum hoc viſcido rancida, oleoſa et bilioſa acris materies coniuncta eſt. Certiſſime enim tunc laedunt et vniuerſalem reſolutionem inducunt.

§. 92.

Cum variis corporibus naturalibus coniuncta haec menſtrua remedia non contemnenda praebent, ita quidem, vt illorum vis paulo intendatur, menſtruorum contra efficacitas his ipſis pauliſper imminuatur. Coniungi ſe patiuntur cum oleis oleoſisque corporibus, gummatibus et vnguinoſo-reſinoſis corporibus, praeſertim quando vis eorundem in ſingulari quodam principio volatili ſeu ſpiritu ſic dicto rectore conſiſtit. Caeterum multum ad compoſitorum ſalium ſalinarumque ſubſtantiarum praeparationem conferunt, aliaque corpora eo ſaepe diſponunt, vt haec ipſa idonea ſic facta in conuenientibus demum menſtruis ſolui queant. Itaque praeparationi antacidorum remediorum et eorum in primis, quae viſcidum pituitoſum, cum acido coniunctum deſtruunt, inſeruiunt.

§. 93.

Menſtrua alcalina volatilia pura, vt ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplex, tam cito, tamque conſtanter, vt fixa, gluten ſolidorum non deſtruunt: inſigniter tamen partes corporis afficiunt, irritabilitatem repente augent, motumque ſubitaneum, diu tamen non perdurantem, ſed talem producunt, qui in motum longe languidiorem poſthac deſinit. Humores magis quam fixa attenuant, in motum ſubito cient, oleoſam inprimis ſanguinis partem reſol-

ſoluunt, et humores ad alcaleſcentiam et reſolutionem plenariam nunquam, immoderate ſi vſurpentur, corrigendam disponunt, immo adeo hanc ipſam inducunt. De reliquo acidum egregie inuertunt, hocque, in diſſitis adeo minimisque corporis humani vaſis haerens, inuertunt, cumque eo viſcidum ſubtiliſſimum coiunctum reſoluunt.

§. 94.

In extrahendis ſimplicium quorundam corporum viribus minime otioſa ſe praebent alcalina volatilia, inprimis oleoſorum ſubtilium et eorum, quae odorem quaſi oleoſo-ſpirituoſum, nares fortiter vellicantem, de ſe ſpargunt, coniunctionem amant. Super eiusmodi enim corpus deſtillata vel cum eodem digeſta remedia largiuntur, quae irritabilitatem excitant, ſanguinem exagitant et a viſcido liberant, acidam acrimoniam tollunt et inſigniter reſoluunt.

§. 95.

Idem fere de menſtruis alcalinis volatilibus dicendum eſt, praeter id, quod magis et conſtantius fibram muſcularem ſtimulent, irregularem fluidi neruei motum tollant eumque tamen auctum reddant, ſanguinis partem oleoſam magis attenuent magisque a reliquis ſeparent, aqueas humorum partes inſigniter diſſipent, ſiccitatem poſthac inducant et depaſcentem calorem relinquant. Hanc ob cauſam remediorum antiſpaſmodicorum praeparationi inſeruiunt, et eorum praecipue, quae ad corrigendum acidum, cum viſcido coniunctum inque ſubtiliſſimis vaſculis haerens motusque flui-

di

di neruei ob id irregulares producens, multum valent. Quapropter ſuper corpora graueolentia dicta menſtrua abſtrahi vel cum vnguinoſo-oleoſis corporibus graueolentibus digeri omnino poſſunt.

CLASSIS III.

MENSTRVA SALINA MEDIAE INDOLIS.

§. 96.

Ex accurata acidorum alcaliumue coniunctione fluida ſalina, nec ad haec nec ad illa referenda ſed mediae quaſi inter ea naturae produci, conſtat. His ſane, ſi non omnibus, plurimis tamen tum in corpus humanum tum in alia corpora inſignis efficacia eſt, ita, vt non ſolum per ſe exhibita egregium vſum praeſtent, ſed etiam cum aliorum corporum viribus coniuncta has magis liberas reddant et remedia ſingularis indolis et efficaciae ſiſtant. Sunt autem duplicis generis, alia fixa alia volatilia aut adminimum ſemiuolatilia, quae ammoniacalia alias ſalia appellantur. Ad fixa pertinent liquor tartari vitriolati, liquor arcani duplicati, liquor ſalis mirabilis *Glauberi*, liquor nitri regenerati, liquor ſalis digeſtiui *Syluii*, liquor terrae foliatae tartari et liquor tartari tartariſati. Inter ſalia ammoniacalia huc ſpectant liquor ſalis ammoniaci vulgaris, liquor ſalis ammoniaci regenerati, liquor ſalis ammoniaci ſecreti *Glauberi*, liquor

ıor nitri flammantis, ſal ammoniacus liquidus et
ıuor tartari ſolubilis. Inter ſalia ammoniacalia
npyreumatica reliquis omnibus palmam praeri-
t liquor cornu cerui ſuccinatus, licet non negan-
ım ſit, etiam cum ſpiritu cornu cerui alia plura
ida coniungi ſicque alia ſalia ammoniacalia em-
yreumatica produci inque vſum pharmaceuticum
nuerti poſſe. Notandum inſuper eſt, omnes
os liquores ſalinos adeo ſaturatos requiri, vt
mnis ſuperflua aquoſitas abſit, iique ipſi ad cry-
allos deponendas aptiſſimi reperiantur. Cum
ıtem eorum nonnulli aetate ſitum interdum con-
ahant, hinc ex parte corrumpantur, pauxillum
iritus vini addatur, neceſſe eſt, quo addito in
ıultum tempus conſeruantur omnino.

§. 97.

Liquor tartari vitriolati lenem fibrae muſculari
pplicat ſtimulum, eamque non adeo ad motum
llicitat, vixque eandem relaxat. Viſcidum pri-
ıarum viarum iners, tenax et aquoſum attenuat
t reſoluit, idemque in ſecundis quoque viis hoſpi-
ans, minori tamen cum effectu, deſtruit. Viſci-
lo deſtructo et ad euacuationem diſpoſito, parti-
usque aquoſis pluribus hanc ob cauſam diſſipa-
is, absque relaxatione ſolidarum partium reſoluit,
xſiccationem potius aliqua ex parte relinquit et
b id etiam humores naturales vix adeo attenuat
t leniſſimum demum robur in ſolidis partibus
elinquit. Cum purgantibus remediis et corpo-
ibus amaris digeſtus vel etiam leniſſime decoctus
gregia remedia largitur, quae viſcidum iners de-
ſtru-

ſtruunt et euacuant, vel alia praebet, quae reſo vunt et leniter inſimul roborant et digeſtioni cibo rum opitulantur.

§. 98.

Liquor arcani duplicati, rite parati, in pluribu quidem cum praecedente conuenit, multo tame remiſſius agit, inprimis ſi ad nitri praeparationen acre lixiuium alcalino-calcareum adhibitun fuerit. Acidum igitur vitrioli cum cauſtico n tri alcali coniunctum medium ſalem conſtitui qui rite ſolutus fibram muſcularem vix, vt tartaru vitriolatus, afficit et actionem praecipuam in pr mis viis prodit: magis etiam roborare quaſi vide tur, hinc commode huius liquoris ope remedi reſoluentia parari poſſunt, quibus fibra ſolida vi relaxatur neque tamen praeter modum roboratu Cum iisdem corporibus praecipue amaris coniun gi ſe patitur, quibuscum liquor tartari vitriola coniunctionem amat.

§. 99.

A liquore tartari vitriolati et liquore arcani du plicati multum differt liquor ſalis mirabilis *Glau beri*. Acidum enim vitrioli cum alcali ſalis com munis ſeu, quod idem eſt, cum alcali minera coniunctum aliam naturam induit aliosque ob i effectus producit. Maiorem ſtimulum dictus li quor fibrae muſculari applicat quam praecedente liquores, irritabilitatem fortius auget, humore naturales potentius attenuat et viſcidum praeſertin iners pituitoſum vel etiam pituitoſum cum vngui noſa materie coniunctum reſoluit et ad euacuatio

nem

nem diſponit immo ſaepe per varia colatoria inprimis per primas vias interdum etiam per vrinarias vias euacuat. Cum mucilagineo dulcibus ſubſtantiis coniunctus iſte liquor remedia producit, quae viſcidum atrabilarium attenuant. Amaris ſtimulantibus acriuſculis vnitus remedia aduerſus viſcidum pituitoſum tenax itidemque concretiones terreas largitur, et cum amaricantibus nauſeoſis combinatus primas vias expurgat et ad reſtituendam digeſtionem quidquam facit.

§. 100.

Liquor nitri regenerati lenem quidem paulo tamen maiorem ſtimulum, quam ſoluti ſales medii ex acido vitriolico parati, fibrae muſculari applicat, oleoſam humorum partem attenuat cumque aquea coniunctam ſeruat, eandemque, ad ſeparationem ab aquea pronam, cum hac rurſus vnit, tuncque attenuat et diſpoſitionem ideo ad coagulum phlogiſticum tollit, atque bilis et ſanguinis exaeſtuationem impedit. Praeterea viſcidum pituitoſum reſoluit et ſecedentes particulas vnguinoſas attenuat motasque compeſcit, ideoque praeternaturalem ab hac dyſcraſia dependentem calorem tollit, tuncque ad promouendam diureſin quidquam confert. Cum ſubſtantiis mucilagineo-dulcibus aut gummatibus reſoluentibus per digeſtionem coniunctus iſte liquor remedia ad reſoluendum coagulum phlogiſticum et tollendos ſpaſmos, a ſimili cauſa dependentes ſuppeditat. Cum natiuis etiam balſamis aut ſubſtantiis balſa-

micis digeſtus aduerſus putridam inprimis viarum vrinariarum diſpoſitionem remedia exhibet.

§. 101.

Loco ſoluti ſalis communis, cui natura humana adeo aſſueſcit, liquor ſalis digeſtiui *Syluii* commode ſubſtitui poterit. Aliter hic quam ille agit, ſiquidem in ſale digeſtiuo *Syluii* acidum ſalis cum alcali vegetabili in ſale communi autem idem iſtud acidum cum alcali minerali coniunctum eſt, et vtrumque alcali a ſe inuicem differt, hinc ſales medios diuerſae indolis conſtituit. Stimulat iſte liquor fibram muſcularem neque lenem irritationem excitat: gluten naturale et humorum denſitatem naturalem minuit, minime autem cauſam celeritatis ſeu motus ſanguinis aufert, ſed hunc, motum nimirum, acriores ſanguinis partes augendo maioremque ob id ſtimulum ſolidis applicando, auget ideoque progreſſiuum ſanguinis motum promouet. Praeternaturale itaque viſcidum pituitoſum, iners, cum nulla acrimonia coniunctum, in ſanguine et humoribus collectum, idemque ſolidorum interſtitiis tenaciſſime inhaerens optime ſoluit, ad euacuationem diſponit, immo aliqua ex parte eliminat. Magis id praeſtat et conſtantius tunc agit, ſi cum gummireſinis, acri ſapore inſtructis, cumque ſubſtantiis vel mere amaris vel acribus amaricantibus per digeſtionem vel etiam per coctionem coniungitur.

§. 102.

Liquor terrae foliatae tartari ob oleoſas, quas intime fouet, particulas quasque cum ſalinis arcte connexas habet, tum per ſe remedium egregium tum aliis corporibus adiunctus menſtruum incomparabile largitur. Per ſe enim exhibitus ſolidam fibram muſcularem absque inſigni irritatione ſtimulat, naturales humores in fluiditate conſeruat neque eorum denſitatem adeo imminuit; ſanguinis quidem oleoſam partem attenuat, minime vero ab aquoſa ſeparat, potius huic illum connubio iungit; quare euacuationibus quibuscunque fere proſpicit. Inter corpora naturalia, quae coniunctionem cum hoc liquore amant, gummoſo-reſinoſa, oleoſo-balſamica, ſaponacea et amara praecipue eminent, tuncque remedia obtinentur, quae et ad coagulum phlogiſticum, nimis tenax iam factum, et ad viſcidum atrabilarium et ad viſcidum pituitoſum cuiuscunque fere indolis reſoluendum ſeu ad reſolutionem inchoandam aptiſſima cenſenda ſunt. Egregia etiam hocce liquore parantur purgantia, inprimis ſi ſubſtantiae purgantes cum dicto liquore ſuper igne leniſſimo aliquamdiu digeruntur.

§. 103.

Liquor tartari tartariſati aliquas quidem ſed pauciores multo partes oleoſas in ſinu fouet, quam praecedens liquor, idem fere ſed minori cum effectu praeſtat, non adeo humectat, magis ſtimulat & diutius in corpore commoratur. Caeterum in viſcidum pituitoſum, in cavitatibus vaſo-

rum reperiundum vel etiam lateribus partium adhaerens, fortius agit, idem magis diſiungit, ipſa vero interſtitia ſolidorum non adeo penetrat. Viſcidum atrabilarium, in primis viis haerens, diuidit et ad ſolutionem aptum reddit, non aeque in minimis vaſculorum cauitatibus hoſpitans, multoque minus in interſtitiis ſolidarum partium deprehendendum diſiungit. Diſpoſitionem ad coagulum phlogiſticum tollit, vel ipſum coagulum, vix enatum, ex parte ſoluit, ſemel vero formatum et tenax admodum non aggreditur. Cum balſamicis amaricantibus vel etiam gummatibus acriuſculis et purgantibus gummoſo-reſinoſis atque gummoſo-mucilagineis amariuſculis digeſtum remedia praebet, quae huic fini optime ſatisfaciunt.

§. 104.

Liquor ſalis ammoniaci vulgaris fibram muſcularem inſigniter ſtimulat et gluten naturale attenuat, humores corporis humani et oleoſam praeſertim ſanguinis partem una cum aquea vehementer attenuat perque renes euacuat. In reſoluendo viſcido calcareae indolis et deſtruendis concretionibus tartareis reliquis palmam praeripit et in genere viſcidum pituitoſum, vbi terreae partes eminent, egregie reſoluit. Digeſtione cum oleoſo-ſalinis et balſamis natiuis coniunctus remedia ſiſtit, quae viſcidum pituitoſum tenax, in ſubtiliſſimis vaſorum maeandris haerens, reſoluit et motum inteſtinum, in viſcido illo oriundum, impedit, vel inchoatum iam tollit, ideoque putredi-

tredinem, ab euoluta dicti viſcidi parte oleoſa natam, arcet.

§. 105.

Eadem fere praeſtat liquor ſalis ammoniaci regenerati, ex ſpiritu ſalis ammoniaci et acido ſalis producti; profundius tamen penetrat et concretiones terreas efficacius disiungit. Cum balſamis natiuis praecipue et diureticis amariuſculis digeſtus remedia contra diſpoſitionem concretionum calculoſarum ſiſtit, vel enatas iam pariterque viſcidum viarum vrinariarum aufert. Pari quoque ratione concretiones ſimiles, in glandulis reſidentes, deſtruit et tenacitati humorum, a ſuperfluis particulis terreo-calcareis dependenti, inſigniter aduerſatur.

§. 106.

Liquor ſalis ammoniaci ſecreti *Glauberi* nonnulla quidem cum liquore tartari vitriolati communia habet, ſed altius penetrat et viſcidum tenax, ex pluribus particulis terreis aquoſisue, paucioribus vero oleoſis acidisque, conſtans atque minimorum vaſorum cauitates obſtruens reſoluit, denſitatem humorum naturalem vix tollit, fibramque muſcularem abſque relaxatione leniſſime irritat. Cum ſubſtantiis balſamicis amaris et amaricantibus digeſtus remedia contra viſcidum acidum largitur idemque cum purgantibus amaris digeſtus euacuat.

§. 107.

Liquor nitri flammantis in reſoluendo coagulo phlogiſtico, profundius in minimorum vaſculorum cauitatibus haerente, plus valet, quam liquor nitri regenerati, cumque gummatibus reſoluentibus aut ſubſtantiis dulceſcentibus digeſtus praeparationi remediorum antiphlogiſticorum inſeruit. Digeſtus etiam cum reſoluentibus remediis graueolentibus remedia antiſpaſmodica refrigerantia largitur.

§. 108.

Excellentiſſimum ſane et remedium et menſtruum, praeſtantiſſimorum remediorum praeparationi inſeruiens, ſiſtit ſal ammoniacum liquidum. Hicce enim liquor ſolida leni ſtimulo afficit, viſcidum tenax oleoſum in quocunque fere morbo, qui talem cauſam agnoſcit, deſtruit, fluida naturalia quidem attenuat, attenuatorum vero connubium non disiungit; quare perſpirationi vel etiam diureſi fauet, vixque adeo exſiccat. Motum fluidorum paulum intendendo et disiunctas partes oleoſas aquoſis reliquisue rurſus vniendo inteſtinum motum arcet; paucis, admodum ſubtilis eſt et reliquis profundius penetrat. Cum ſubſtantiis balſamicis, gummoſo-reſinoſis, vel mere reſinoſis, vel etiam mere gummoſis, amaro-dulcibus et aromaticis digeſtus remedia largitur, quae viſcidum cuiuscunque fere generis inprimis oleoſum, niſi penitus reſoluant, ad reſolutionem tamen aptum reddunt et putredini reſiſtunt.

§. 109.

§. 109.

Liquor cornu cerui ſuccinatus, qui ſolutum ſalem ammoniacum oleoſum ſiſtit, profunde admodum penetrat inque ſubtiliſſimos corporis canaliculos ſe inſinuat, fibram muſcularem non adeo ſollicitat et oleoſam ſanguinis partem exaltat et rarefacit neque tamen ab aquea ſeiungit. Viſcidum pituitoſum tenax, vnguinoſum attenuat et ad vnionem cum aqueis particulis aptum reddit, pariterque viſcidum pituitoſum vnguinoſo-acidum ſubtilius, in ſubtiliſſimis vaſculis haerens reſoluit, in motum ducit atque exturbat. Vix tamen conducit, vbi, partibus aquoſis diſſipatis, humores corporis ab oleoſa ſanguinis parte exaltata nimisque iam in motum ducta nimis moti deprehenduntur, aut vbi viſcidum atrabilarium, cum bilioſa aut rancida materie coniunctum, morbos parit. Egregie itaque praeparationi remediorum antiſpaſmodicorum reſoluentium inſeruit, ſeque ſubſtantiis gummoſo-oleoſis aut vnguinoſo-mucilagineis graueolentibus vnit atque ita remedia ſiſtit, quae fluiditatem humorum conſeruant, tuncque motum fluidi neruei inordinatum regularem reddunt, parcamque et imminutam eiusdem fluidi ſecretionem, humorum nimirum fluiditatem conſeruando et vaſculorum cauitates aperiendo inque iisdem haerentem materiem acrem vellicantem deſtruendo, augent.

CAPVT III.

MENSTRVA INFLAMMABILIA.

§. 110.

Menſtrua inflammabilia ſubſtantiam fouent, quae maxime mobilis ſeu ad motum facillime ſuſcipiendum eundemque pariter citiſſime propagandum aptiſſima eſt, quaeque, a compedibus liberata inque motum ducta, ſubſtantiam cohaeſionis materialem in corporibus compoſitis adeo ſibi vnit vel in motum ciet, vt, hac ipſa mobili nunc facta, nexus corporum facillime disiungatur partesque corporum disiunctae, actiuae tunc exiſtentes, in motum pariter ductae varios eosque diuerſiſſimos ſaepe in haec vel illa corpora exercere poſſint effectus. Cum autem mobilis illa, in inflammabilibus menſtruis deprehendenda ſubſtantia, in iisdem magis minusue intricata haereat inque aliis plus minus mobilis iam exiſtat, inque motum citatiorem duci poſſit, dicta menſtrua in corpus humanum inque alia corpora non animata diuerſiſſime agere, patet. Praecipue autem ad duo tantum in genere hic reſpiciendum eſt, ſcilicet ad olea et ſpiritus ardentes, quae, licet ob ſubſtantiam inflammabilem magnam inter ſe alant affinitatem, ob adiunctas tamen partes, plus minus compoſitas, et ob ipſam ſubſtantiam inflammabilem, vel euolutam iam vel intricatam adhuc, adeo a ſe inuicem differunt,

ſerunt, vt primo intuitu diuerſiſſima appareant nque duas claſſes neceſſario diſcerpenda eſſe videantur.

CLASSIS I.

MENSTRVA OLEOSA.

§. III.

Olea ab aliis ſubſtantiis fluidis in in eo inprimis, quod flammam concipiunt, hanc alunt et comburuntur, omnemque per ſe cum aqua coniunctionem reſpuunt, diſtingui, notum eſt; ipſa autem inter ſe differre, ſola iam autopſia docet. Ita alia ſpiſſiora et lentiora, alia tenuiora magisque fluida ſunt; hinc duplex differentia notanda venit, ſecundum quam alia ſpiſſiora et vnguinoſa, alia tenuiora et aetherea vocanda ſunt.

§. 112.

Vnguinoſa olea ſubſtantiam inflammabilem cum compluribus mucilagineis, aliquibus aqueis et acidis particulis ita coniunctam fouent, vt ea non niſi igne actuali a compedibus liberari inque motum plus minus vehementem cieri poſſit. Cum autem oleorum horum actiuitas non prorſus deleta ſed imminuta tantum ſit, atque aliae plures, magis compoſitae, partes cum ſubſtantia inflammabili coniunctae reperiantur, dicta olea fibram muſcularem ſtimulare nequeunt, ſed contrarium

effectum edunt. Sic irritabilitatem nimiam, ſolida laxando et glutinis flexilitatem augendo compeſcunt, fluidorum ſanguinis praecipue motum, volumen eorum augendo et viſcoſitatem inducendo, lentiorem reddunt. Hinc per ſe quidem interne valent, ita tamen, vt ſemper ad ſubſtantiam illam inflammabilem, ad ſuſcipiendum motum aptiſſimam, attendatur ſeduloque ponderetur, num ea intra corpus euolui ſicque moueri poſſit; quo facto acris poſthac ſtimulus metuendus atque olea ipſa ob id noxia conſenda ſunt. Cumque etiam olea haec, igni ſicco admota, ſemper mutationem ſubeant et magis actiua, ſed reſpectu corporis humani noxia potius euadant, cum aliis corporibus pro ſcopo interno coniungi nequeunt. Per frigidam enim digeſtionem aut eam, quae in balneo maris inſtituitur, pauciſſima corpora cum oleis vnguinoſis ſeu preſſis coniungi, experimur. Caeterum, cum fluida adeo lenta ſint, et ſoluta corpora in canali inteſtinorum praeter modum adiuncta retineant, fibraeque ſolidae quaſi agglutinent, accidit quoque, vt effectus minus certus et ſaepe noxius producatur. Interim negligenda prorſus non ſunt, ſed cum nonnullis corporibus vnguinoſis, gummoſis et reſinoſis, nullo principio actiuo donatis, coniuncta remedia inuoluentia, demulcentia et ſpaſmos, ab acido primarum viarum excitatos, ſedantia largiuntur; vel corpora ſimplicia eo interdum diſponunt, vt admixtis aliis menſtruis egregia et actiua valde remedia obtineantur. Praeterea menſtru-

ſtrua non contemnenda praebent, quorum ope
externa remedia praeparantur: quamobrem cum
ſubſtantiis vnguinoſis, pinguedinoſis, oleoſis ſub-
ilioribus, gummoſis, reſinoſis, acri ſtimulante
ſapore atque odore forti praeditis coniungi ſicque
varia unguenta emollientia, anodyna, reſoluen-
tia, carminatiua etc. itidemque varia linimenta
variaeque indolis emplaſtra parari poſſunt.

§. 113.

Olea aetherea ſubſtantiam inflammabilem magis euolutam continent, cum attenuato acido et aqua et pauca terra attenuata coniunctam. Praeterea ſingula ſingulare quoddam principium ſumme ſubtile et volatile, ſolo odore et ſapore dignoſcendum, habent, a quo praecipua eorundem vis dependet. Id, in oleis aethereis deprehendendum, pars oleorum ſpirituoſa vocatur, inflammabiles vero et acidae et aqueae et terreae coniunctae partes, ſubſtantiam a priori diuerſam componentes, ſub partis reſinoſae nomine veniunt. Quamdiu vtraque haec pars coniuncta manet, reſinoſa ſimul efficax euadit, hac ipſa vero altera ſpirituoſa pars aliquanto figitur, ita tamen, vt actiua ſemper exiſtens in motum rapidiſſimum ſaepe ducatur, ſtatim ac vel leuiſſimus tantum, a frictione et calore dependens, motus ei communicetur. Lentius quidem pars iſta ſpirituoſa, diutius tamen et conſtantius, agit, ſi cum reſinoſa coniuncta eſt, vt in oleis aetheris id fieri ſolet; ſeparata autem a reſinoſa parte, vti in aquis deſtillatis et ſpiritibus abſtractitiis deprehenditur, citius

tius et interdum quoque vehementius ſed minu
conſtanter effectum edit. Aetherea igitur ole
per ſe exhibita, fibram muſcularem vehement
irritant et, aquoſas partes diſſipando exſiccan
oleoſam ſanguinis partem attenuant et mouen
aqueam vero ſeiungunt et ad cutem determinan
Fluidi neruei motum augent, ſanguinemque ra
refactum copioſius verſus caput pellendo ſecre
tionem dicti fluidi augent, adeo ſaepe, vt, diutiu
exhibita aut largiori in copia aſſumta, motum eiuſ
dem, ob nimium ſanguinis attenuati et rarefac
affluxum, ad tempus imminuant. Pro intern
ſcopo cum aliis quidem corporibus coniungi poſ
ſunt; ob peculiare vero principium, quod ſingula
ri ratione agit neque adiumento opus habet, v
menſtrua vix conſideranda ſunt. Pari quoqu
ratione externe menſtruorum vices apte gerer
non poſſunt, licet optimo iure cum aliis remedii
externis coniungi, tuncque horum vires auger
vel etiam excitare queant.

CLASSIS II.

MENSTRVA SPIRITVOSA.

§. 114.

Inter ſpirituoſa menſtrua ſpiritus vini in primi
eminet: ſubſtantia enim inflammabilis non
ſolum purior ſed libera magis, hinc quoque
magis actiua, cenſenda eſt. Principium quidem
inflammabile in omnibus ſic dictis ſpiritibus ar
denti

entibus maxime attenuatum et prorſus euolu-
um deprehenditur, cum valde attenuato princi-
o acido et ſubtiliata pariter aqua coniunctum;
b admixtas tamen partes peregrinas et ob varian-
em proportionem partium conſtituentium ipſos
oſce ſpiritus a ſe inuicem differre et differen-
am, ſaepe notatu dignam, reperiri, experientia
ocet. Cum itaque ſpiritus vini iisdem virtuti-
us, quae aliis ſpiritibus ardentibus ſimul com-
etunt, ditatus ſit, nullo autem vitiorum, quae
iis innata ſunt, contaminatus reperiatur, atque,
uicquid iidem boni praeſtent, ab illo pariter im-
o multo melius exſpectandum ſit, de hoc vno
ic agere ſufficiet.

§. 115.

Spiritus vini, deſtillationis ope a ſuperflua
qua et acido peregrino liberatus et rectificatus
ictus, complures partes inflammabiles hasque
naxime ſubtiliatas cum pluribus partibus aquoſis
auciſſimisque acidis coniunctas fouet et a reli-
uis in eo differt, quod omnes eius partes con-
itutiuae magis ſubtiliatae et ſubſtantia inprimis
nflammabilis copioſior, purior magisque attenua-
a deprehendatur. Naturalis enim iſta ſubſtan-
a, ex qua fermentationis ope obtinetur, ab ipſa
am natura maxime elaborata eſt et partes iam atte-
uatas habet, cum contra alia corpora, quae ſi-
nilem ſpiritum largiuntur, ſubſtantiam inflamma-
ilem non ſolum magis compoſitam ſed cum aliis
tiam ſubſtantiis, ſaepe inertibus, arcte connexam
ontineant. Quocirca omnino accidit, vt pere-
grinae

grinae iſtae partes, quo ſubtiliores ſunt arctiusqu vnitae, eo difficilius ſeparentur, immo haud rar particulis ſpiritus ardentis conſtitutiuis arctiu coadunentur. Inde quoque declarandum eſt, cu alii aliique gratiores, quoad guſtum, exiſtant et non nulli adeo interdum ſaporem ingratum, nullo quo cunque depurationis modo, exuant. Quodſi re ſic ſe habeat, aliquam quoque diuerſitatem reſpe ctu effectuum in corpus humanum, minus vero laudabilium, inde prouenire, certo ſequitur.

§. 116.

Licet haecce differentia, in ſola tantum pu ritate et ſubtiliſatione ſubſtantiae inflammabili quaerenda, negari nequeat, notandum tamen eſt in pluribus omnino, ratione effectuum generalio rum in corpus humanum inque alia corpora com plura, ſpiritus ardentes conuenire, omnemque eo rundem efficacitatem ab euoluta inque motu ve loci iam conſtituta ſubſtantia inflammabili, aci dis adhuc aqueisue particulis intertexta, depende re. Ob hanc ideo indolem ſpiritus ardentes fi bram muſcularem valde ſtimulant, irritabilitatem primo augent, diu et frequentius tamen vſurpat ob exſiccationem, quam inducunt, ſufflaminant Oleoſam ſanguinis partem in motum ducunt e a reliquis, ſanguinem conſtituentibus, partibus aliquantiſper ſeparant, nimis cito diſſipant, hinc fluida coagulant et viſcoſitatem inducunt. Pari ter quoque fluidi neruei motum promouent, cre brius tamen ingurgitati, ſeparatam et ſubtiliatam inque rapidum motum ductam oleoſam ſanguinis

partem

artem copioſe nimis ad caput propellentes, eun-
em motum primo quidem augent, poſthac au-
em cohibent et ob partes viſcoſas ſimul adductas
rincipia neruorum vel comprimunt, vel obſtruunt
el ipſum fluidum nerueum in progreſſu quaſi
gunt.

§ 117.

Spiritus vini quidem in officinis pharmaceu-
cis ad hunc vſque diem menſtruorum fere prin-
eps eſt, vixque eſſentia reperitur, cuius praepara-
oni iſte non impendatur. Adeo ſane inualuit
te mos, vt absque diſcrimine et reſoluentia et
oborantia, ſtimulantia et antiſpaſmodica, hume-
tantia et exſiccantia aliaque eiusmodi plura ſo-
us huius menſtrui ope parentur, cum potius cer-
ſſimum ſit, et ipſum menſtruum, cum quo ſim-
licia remedia coniuncta ſunt, in corpus huma-
um vim ſuam ſimul exercere, immo exercere
ebere. Cum itaque, quod ad actionem vnitam
pectat, et inter remedia ſimplicia et ipſa menſtrua
iqua affinitas et, reſpectu corporis humani, mor-
oſa quaedam eiusdem conditio requiratur, ſpi-
tum vini in officinis pharmaceuticis menſtruum
niuerſale eſſe non poſſe, ſponte patet. Dolen-
um autem eſt, larga ſatis manu ſpiritum vini ad-
uc adhiberi aliaque menſtrua, ſalina inprimis et
cida vegetabilia, nimis negligi aut parciſſime vſur-
ari, cum tamen his ipſis adiuuantibus, vt hacte-
us pauciſſimis oſtendimus, egregia remedia, quae
lus omnino praeſtabunt, parari poſſint. Mini-
ne tamen laudes huic menſtruo detrahere, ani-
mus

mus eſt, immo potius easdem, ſed limitatas, pro-
mereri arbitramur. Huius enim ope remedia
parantur, quae certe inſignis vſus ſunt, nec alio
modo vnquam obtinentur.

§. 118.

Spiritus vini vt menſtruum requiritur, quando
remedia praeparanda ſunt, quae aquoſam humo-
rum colluuiem diſſipare, fibram muſcularem ex-
ſiccare, ſtimulum irritantem in eadem excitare e
oleoſam ſanguinis humorumue partem, nimi
quietam, in motum ciere debent. Hocce reſpe-
ctu dictum menſtruum cum corporibus naturali-
bus coniungendum eſt, quae odore forti aroma-
tico, ſapore acri, ſtimulante et amaro inſtructa ſunt
quaeque per ſe fibrae muſculari robur cum ſtimu-
lo applicant. Inſeruiunt porro menſtrua, mere
ſpirituoſa praeparationi remediorum, quae neruo-
rum ſolidas partes quaſi firmant et roborant, et ea
diſponunt, vt fluidum nerueum, ab iisdem reme-
diis pariter auctum inque motum ductum, con-
ſtantius nunc atque viuidius per canales ſuos vehi
poſſit. Itaque in morbis, qui a frigida aquoſaue
humorum temperie et viſcido inerti, aquoſo, luxu-
riante dependent, dein vbi nimia ſolidorum laxi-
tas, a glutine cohaeſionis nimis tenui nimisque
aquoſo oborta, ſimulque irritabilitas imminuta de-
prehenditur, tandem vbi ab aquoſa humorum col-
luuie inque hac ſepulta quaſi parte oleoſa ſangui-
nis parcior fluidi neruei ſecretio fit, praeſtantiſſima
remedia et peculiaria diaphoretica, roborantia

quae

quae ſtimulant ſimul et exſiccant, et neruina quaedam ſpiritus vini ope parari poſſe, cenſemus.

§. 119.

Nunquam vero ſpiritus vini, niſi quoad indolem mutatus ſit, menſtruorum vicibus fungi poteſt, vbi remedia paranda ſunt, quae morbis, a viſcido tenaci, ſiue pituitoſo, ſiue atrabilario ſiue demum inflammatorio ortis, mederi debent. Exulet etiam vini ſpiritus, vbi morbi ab exaltata nimisque mota ſanguinis parte oleoſa dependent, ſeu vbi defectus aquoſae partis eſt, vbi ſiccitas in ſolidis partibus et irritabilitas et ſenſilitas nimia locum habent. Mirandum profecto eſt, cur tam multae eſſentiae reſoluentes, antiſpaſmodicae aliaeque eiusmodi plures, ſpiritu vini paratae, proſtent, quae quidem aquoſam humorum partem diſſipant, ſed materiem tenacem obſtruentem non tollunt, immo accuratius ſi examinentur, augent, tenaciorem reddunt et irritabilitati morboſae ſtimulum irritantem adeo addunt. Niſi itaque eorum numerus imminuatur, aliaque, cauſae magis aduerſantia, introducantur, tantum abeſt, vt morbi tollantur, vt potius eidem interdum ad multos quaſi annos ſupprimantur, debellati quidem tunc ſaepe viſi, ſed peiores omnino et ſub triſtiſſima facie redituri.

* * *

CAPVT IV.

MENSTRVA COMPOSITA.

§. 120.

Sub compoſitorum menſtruorum nomine nobis non ea ſolum veniunt, quae ex duobus vel pluribus ſimplicium, hactenus commemoratorum, menſtruorum ſimplici ratione commixtis componuntur, ſed ea etiam, quae ex iisdem quidem conſtant ſed certa quadam proportione et adeo arcte inter ſe coniuncta ſunt, vt noua quaſi ſimplicia eſſe videantur. Cum itaque ab his inprimis et ab illis etiam noua prorſus aut ad minimum mutata virtus exſpectanda ſit, noua etiam remedia eorum adiumento parari poſſe, putandum eſt. Inter plura, quae arte producuntur, menſtrua compoſita, nonnulla tantum, praecipua tamen, commemorare licebit. Primo igitur ad menſtrua ſalino-ſaponacea, deinde ad ſalino-oleoſa, tum ad ſalino-ſpirituoſa, porro ad oleoſo-ſpirituoſa, tandem ad ſalino-oleoſo-ſpirituoſa attendamus.

(o)

CLAS-

CLASSIS I.

MENSTRVA SALINO-SAPONACEA.

§. 121.

Corpora ex oleo et ſale, vtriſque his ſubſtantiis arcte coniunctis, compoſita inque aqua et oleo quocunque ſolubilia, ſapones ſunt. Minime vero quaeuis corpora, quae partes oleoſas cum ſalinis arcte connexas fouent, nomen iſtud promerentur, niſi alterum illum characterem, ſolubilitatem nimirum in aqua et oleo, ſimul coniunctum habeant. Quae enim ex ſale et oleo compoſita corpora aquae coniunctionem amant nec oleo ſimul ſe vniunt, ea quidem ſaponaceis proxime accedunt ſed ſubſtantiae verae ſaponaceae non ſunt. Iam vero in pluribus, quae ſaponacea dicuntur, accidit, vt ſalinae ſubſtantiae emineant, quapropter eiusmodi corpora aquae quidem ſe vniunt, non aeque oleo aut oleis quibusuis, hinc ob indolem diuerſam aliud nomen eis imponendum eaque ſalino-ſaponacea dicenda ſunt. Ad pharmaceutica menſtrua ſpectant inprimis, quae ex ſpiritu vini et alcali fixo et ex eodem ſpiritu et alcali volatili conſtare, ſcimus. Ad prius genus pertinet tinctura antimonii tartariſata, tinctura Harveyana et ſpiritus vini tartariſatus, licet non negandum ſit, hunc ob abundantes partes ſpirituoſas et liberas adhuc ſalinas ſub-

 ſtantias

ſtantias ad ſalino-ſaponaceo-ſpirituoſa referri poſſe. Ad poſterius genus pertinet offa Helmontiana liquefacta et ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, licet iſte itidem ſalino-ſaponaceo-ſpirituoſis accenſeri debeat.

§. 122.

Tinctura antimonii tartariſata particulas ſaponaceas cum alcalinis, ſulphureis et regulinis coniunctas continet, et menſtruum valde activum ſiſtit. Per ſe exhibita fibram muſcularem inſigniter ſtimulat, gluten naturale valde attenuat, aquoſas partes conſumit, bilem attenuat et acriorem reddit, ſanguinis fluiditatem auget et ſero aquae tenuitatem inducit. Viſcidum morboſum pituitoſum, tenax, aquoſum vel etiam acidum attenuat et ad euacuationem diſponit, atque acidam humorum acrimoniam potentiſſime inuertit. In genere humorum quidem denſitatem naturalem minuit, immo tollit et tenuitatem inducit, ſed, aqueas partes nimis diſſipando, ſiccitatem infert et corpus maxime irritabile reddit et ad alcaleſcentiam diſponit. Nocet haec tinctura, vbi corpus nimis irritabile eſt, humores vel nimis tenues vel nimis moti ſunt; vbi viſcidum atrabilarium et acris ſtimulus, ab euoluta inque motum ducta ſanguinis parte oleoſa productus, ſanguini inhaeret. Coniunctionem amat corporum, quae ſtimulum acrem, amarum, exſiccantem linguae imprimunt, tuncque reſoluentia ſiſtit, quae in ſimul irritant et acido reſiſtunt, quaeque pro diuerſa corporis diſpoſitione vel diaphoreſin vel diu-

reſi-

reſin mouent. Cum oleoſis corporibus et inprimis vnguinoſis coniuncta, ratione ſtimuli, paululum miteſcit, ſed ad reſolutionem viſcidi pituitoſi tenacis magis apta fit. Balſamis natiuis nupta remedia largitur, quae viſcidam pituitam, in viis vrinariis inque pectore et glandulis haerentem, ſoluit. Caeterum cum oleis quibuscunque actiuis et corporibus reſinoſis reſoluentibus coniungi poteſt, quippe quae attenuat, actionem eorum intendit, immo nouas vires iisdem ſaepe tribuit.

§. 123.

Eadem fere praeſtant, ſed effectum multo mitiorem edunt tinctura Harueyana et tinctura Helmontiana. Haec enim ex particulis ſaponaceis, alcalinis et ſpirituoſis conſtat, illa vero adhuc mitior itidem ex ſaponaceis ſed paucioribus alcalinis compoſita eſt. Vtraque cum corporibus reſoluentibus coniuncta remedia praebet, quae non niſi in morbis valent, vbi irritabilitas imminuta eſt, humores aqueis particulis et viſcido pituitoſo abundant, ſeu vbi ſimul acidum immixtum eſt. Omnia tamen, quae harum tincturarum ope parantur remedia, mitiora cenſenda ſunt illis, quae tinctura antimonii tartariſata largitur.

§. 124.

Ad ſalino-ſaponacea etiam referendus eſt ſpiritus vini tartariſatus, qui, licet ſpirituoſas partes adhuc contineat, indolem tamen ſpirituum inflammabilium maximam partem amittit. Stimulat quidem fibram muſcularem, ſed multo minori

cum effectu et, rite paratus, per ſe quidem humoribus viſciditatem inducit, ſed cum aliis corporibus amaris reſoluentibus, ſtimulantibus, acribus oleoſis coniunctus remedia reſoluentia exſiccantia profert. Valet itaque, vbi remedia paranda ſunt, quae viſcidum aquoſum primarum viarum deſtruunt, et irritabilitatem aliquatenus augent.

§. 125.

Offa Helmontiana liquefacta particulas ſalis volatilis cum ſpirituoſis arcte connexas continet, ita tamen, vt ſuperfluae etiam alcalinae iſtis ſimul adhaereant. Ob naturalem particularum teneritudinem profundius corporis humani partes penetrat quam praecedentia menſtrua alcalina, neutiquam tamen effectu tam conſtanti irritat, nec etiam humores eodem modo et effectu diu perdurante, vt illa ſolent, reſoluit. Per ſe quidem conſiderata admodum irritat et valde pariter reſoluit, illorum tamen reſpectu paulo remiſſius agit inque ſubtiliſſimos corporis canales profundius ſe inſinuat. Praecipue viſcidum aquoſum, laxum, tenerius cum acido coniunctum inque ſubtiliſſimis canaliculis hoſpitans deſtruit; olea ſubtiliora euoluta magis inſuper attenuat, cumque terreo et aqueo principio ſimul coniungit et corpus ad alcaleſcentiam diſponit. Cum corporibus, olea ſubtiliora fouentibus, per deſtillationem coniunctum iſtud menſtruum, remedia largitur, quae viſcidum pituitoſum vel iners vel etiam acidum pectoris, viarum vrinariarum, glandularum et

ſub-

ſubtiliſſimorum vaſorum, cum neruis proxime connexorum, deſtruunt, quaeque indicantur, vbi dictum viſcidum ob irritabilitatem imminutam moueri et ex corpore eliminari nequit.

§. 126.

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus multo pauciores partes ſaponaceas cum pluribus ſpirituoſis et alcalinis coniunctas habet: magis ideo ſtimulat et exſiccat, neutiquam tamen coagulat, licet effectus reſolutorius, reſpectu offae Helmontianae, non adeo inſignis eſſe videatur. Cum oleoſis ſubtilioribus ſubſtantiis odoratis deſtillatus remedia dat, quae, fibram muſcularem ſtimulando, viſcidum aquoſum attenuant et ad euacuationem diſponunt, vel etiam ex parte tum per diureſin, tum per diaphoreſin tum etiam per expectorationem euacuant. Acidum quoque morboſum deſtruunt et motum periſtalticum languidiorem excitant; hinc, vbi ob viſcidum aquoſum acidum digeſtio turbatur, eandem promouent. Caeterum in neruos agunt, et, vbi motus fluidi neruei ab eadem cauſa viſcida irregularis eſt, aut vbi ob viſciditatem ſanguinis parcior fluidi neruei ſecretio deprehenditur, et motus inde irregulares producuntur, hos regulares rurſus reddere valent.

CLASSIS II.
MENSTRVA SALINO-OLEOSA.

§. 127.

Haecce menſtrua ex vnitis quidem particulis ſalinis et oleoſis conſtant, minime vero particulas has intime mixtas habent. Pauca ſunt eiusmodi menſtrua, quae huc ſpectant, et inter ſalia media vnicum ſal digeſtiuum *Syluii* oleoſum tale menſtruum ſuppeditat. Duplici modo dictum ſal oleoſum reddi poteſt; alter eſt, vbi particulae oleoſae empyreumaticae cum ſalinis coniunguntur, alter vero, vbi particulae oleoſo-balſamicae iſtis ſe vniunt. Hoc ſal digeſtiuum oleoſum balſamicum, illud vero ſal digeſtiuum oleoſum empyreumaticum vocatur.

§. 128.

Liquor ſalis digeſtiui oleoſi balſamici lenem fibrae muſculari ſtimulum applicat, humores corporis attenuat et oleoſam eorum partem in motum ciet, minime tamen a reliquis ſeiungit. Viſcidum pituitoſum tenax tum iners tum acidum attenuat et ad euacuationem diſponit et concretiones praeternaturales, ex copioſis particulis terreis cum viſcido pituitoſo et ſubſtantia vnguinoſa coniunctis productas, reſoluit inque vias vrinarias vim ſuam perſaepe exercet. Cum balſamis natiuis, ſubſtantiis oleoſis et vnguinoſo-reſinoſis digeſtus vel ebulliens aromaticis affuſus cumque iisdem poſtea digeſtus remedia praebet, quae in

in morbis, a laxitate ſolidorum et viſcida aquoſaque humorum temperie et torpidiori fluidi nervei influxu prouenientibus inque diſpoſitione ad concretiones calculoſas aliasque cum fructu exhiberi poſſunt.

§. 129.

Liquor ſalis digeſtiui oleoſi empyreumatici ſeu foetidi in pluribus cum praecedente conuenit, praeter id, quod magis exſiccet et humores vehementius commoueat. Praeterea motus ſpaſticos a viſcido tenaci acido, ſubtiliſſimos canales obſidente, excitatos tollit, dictumque viſcidum adeo attenuat, vt per varia colatoria euacuari poſſit. Prodeſſe inprimis videtur, vbi tale viſcidum vias vrinarias et in foeminis vterum occupat et motus ſpaſticos excitat. Cum corporibus oleoſo-reſinoſis aut vnguinoſis graueolentibus digeſtus egregia remedia reſoluentia antiſpaſmodica in morbis vteri et viarum vrinariarum frigidis, atque vbi vermes in primis viis hoſpitantur, propinanda largitur.

CLASSIS III.
MENSTRVA SALINO-SPIRITVOSA.

§. 130.

Haec nobis ſunt, quae et ſpirituoſas partes et ſalinas abſque arcto connubio fouent, ita, vt ſingulae commixtae partes naturalem fere indolem retineant, coniunctis tamen viribus in corpus ſoluendum agant, hocque ſibi

 vniant,

vniant, ipſae tunc mutentur, et non raro arctum denique connubium cum admixto corpore et inter ſe inuicem ineant. Eiusmodi menſtrua, in corpus humanum ingeſta, fibram muſcularem ſtimulant et exſiccant; alia eorum humores corporis coagulant, alia eosdem reſoluunt. Pertinent huc praecipue acida mineralia cum ſpiritu vini rectificato abſque deſtillatione coniuncta; acetum vini non deſtillatum, cum ſpiritu vini mixtum, vel deſtillatum cum ſpiritu vini per deſtillationem coniunctum. Ad haec etiam ſpectant alcalia fixa ſoluta et ſpiritui vini admixta, deinde ſpiritus alcalini volatiles cum ſpiritu vini rectificato mixti, denique nonnulla ſalia media ſoluta et cum ſpiritu vini coniuncta.

§. 131.

Acida mineralia cum ſpiritu vini tanta in copia commixta, vt deguſtata linguam minime laedant, ſolidas partes ſtimulant et exſiccant, fluidas vero coagulant et putredini inſigniter aduerſantur. Cum melle vel ſaccharo gratiora facta tuncque cum radicibus ſic dictis alexipharmacis oleoſo-reſinoſis, amariuſculis, acri ſapore oleoſo donatis vel etiam balſamicis digeſta, remedia aduerſus reſolutionem putredinoſam itidemque talia largiuntur, quae morbos primarum viarum, a laxitate ſolidorum et viſcido pituitoſo inerti et aquoſa humorum colluuie productos, infringunt. Dicta menſtrua ob faciliorem praeſcriptionem et euitandam confuſionem *Acida mineralia ſpirituoſa*,

uoſa, e.g. Acidum vitrioli, acidum nitri, acidum ſalis ſpirituoſum vocari poſſunt.

§. 132.

Acetum vini ſpirituoſum non deſtillatum, id eſt, acetum vini non deſtillatum cum ſpiritu vini ſimpliciter mixtum et digeſtum, fibram muſcularem ſtimulat, tenuiores humores diſſipat, circulum humorum absque inſigni calore auget, humores reſoluit, coagulatos diuidit, exſiccat et putredini, a cauſa praeſertim inflammatoria ortae, aduerſatur. Cum melle hocce menſtruum edulcoratum tuncque cum ſubſtantiis, gratum aroma ſpirantibus et acriuſculum ſaporem excitantibus, digeſtum remedia reſoluentia, diuretica, antiputredinoſa praebet et talia quidem, quae in neruos inſimul agunt, fluidum nerueum afficiunt eiusque motum, a cauſa putrida irregularem factum, regularem reddunt, neruosque quaſi roborant.

§. 133.

Acetum vini ſpirituoſum deſtillatum, id eſt, acetum deſtillatum cum ſpiritu vini per deſtillationem coniunctum, vix partes vere oleoſas ſed plures acidas cum ſpirituoſis coniunctas fouet. Hanc ob cauſam fibram muſcularem magis ſtimulat, exſiccat inque eandem adſtrictoriam vim exercet. Fluida magis denſat, tantum non coagulat, eadem mouet, minime tamen oleoſam partem ab aquea ſeiungit, ideoque, per ſe exhibitum, remedium calefaciens, exſiccans, antiputridum ſiſtit. Caeterum cum iisdem ſubſtantiis, quibuscum acetum vini ſpirituoſum non deſtillatum

tum coniungitur, commiſceri poterit: inprimis cum corporibus balſamicis roborantibus coniunctum remedia praebet, quae morbis, ab aquoſa humorum colluuie et imminuta irritabilitate ortis et putridis lentis medentur.

§. 134.

Liquor alcalinus ſpirituoſus, ex ſale alcalino ſoluto et ſpiritu vini parum adhuc phlegmatico compoſitus, in multis quidem cum menſtruis alcalinis fixis, §. 90. 91. conuenit, tantam tamen fluiditatem non inducit, paulo magis vero ſtimulat et exſiccat. Hinc viſcidum pituitoſum aquoſum cum acido coniunctum, in primis viis praecipue haerens, deſtruit, et acidum morboſum inuertit, bilem, ob hanc cauſam corruptam, corrigit et digeſtionem poſthac promouet. Ob eandem rationem cum plantis et radicibus amaris balſamisque natiuis digeſtus reſoluentia in morbis viſcidis pituitoſis acidis et remedia carminatiua in iisdem morbis proficua largitur.

§. 135.

Liquor alcalinus volatilis ſpirituoſus, ex ſpiritu alcalino volatili et ſpiritu vini rectificato compoſitus vix vnquam cum offa Helmontiana, §. 124. et ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo conuenit, ſed multa potius cum menſtruis alcalinis volatilibus, §. 93. 94. communia habet. Ab his tamen in eo differt, quod magis ſtimulet, minusque reſoluat, licet effectus reſolutorius caeterum ſat notabilis eſſe ſoleat. Cum aromaticis acrioribus fortemque odorem de ſe ſpargentibus digeſtus re-

medi[a]

ıedia exhibet, quae in morbis, vbi canales mi-
ıimi a viſcido pituitoſo aquoſo acido obſtructi
unt, non ſine fructu propinari poſſunt. Prae-
erea, vt praecedens, §. 134. digeſtionem adiuuat
t acidum inuertit.

§. 136.

Salia media, ſoluta et cum ſpiritu vini mixta, nenſtrua praebent, quae in corpore humano qui-
lem reſoluunt; magis tamen quam ſalia media, um dicto ſpiritu non coniuncta, ſtimulant, ma-
gis exſiccant minusque relaxant. Cum variis ubſtantiis, gummoſis, reſinoſis, oleoſis, balſa-
micis, amaris, acribus, odorantibus digeſta re-
media, certe praeſtantiſſima, carminatiua, dia-
phoretica, diuretica immo nonnulla purgantia dabunt.

CLASSIS IV.

MENSTRVA OLEOSO-SPIRITVOSA.

§. 137.

Menſtrua oleoſo-ſpirituoſa appellamus, in quibus particulae oleoſae ſubtiliores cum ſpiritu vini ita commixtae ſunt, vt cum eodem, quoad aſpectum, liquidum homogeneum conſtituere videantur. His vires ſtimulantes, ner-
vinae et commouentes inſunt; ſolida ab iisdem exſiccantur, cohaeſio augetur, fluida addenſan-
tur, a nonnullis fere coagulantur; interdum ta-
men

men fluiditas conſeruatur. Putredini inſuper egregie iſta menſtrua aduerſantur et fluidi nerue defectum reſarcire quaſi videntur. Pertinent ad haec praeſertim acida dulcificata et ſpiritus abſtractitii.

§. 138.

Liquor anodynus mineralis, hactenus *Hoffmanno* inuentori ſeu potius correctori adſcriptus, alias ſpiritus vitrioli dulcis dictus, ex ſingulari oleo aethereo et ſpiritu vini conſtat, vi neruina inſtructus eſt et anodynum ſiſtit, vbi dolor ab imminuta ſolidorum cohaeſione et glutine aquoſo prouenit. Idem calidae debilitati medetur, vbi ea a defectu fluidi neruei orta eſt; hinc etiam putredini reſiſtit, motumque circulatorium tum ob ſtimulum, quem fibrae muſculari applicat, tum ob appulſum fluidum nerueum, auget neque tamen aeſtum generat, cui potius aduerſatur. Praeterea digeſtionem, ob laxitatem inteſtinorum et viſcidum pituitoſum, aquoſum, iners neque vero acidum turbatam, promouet. Nocet vero, vbi viſcidum tenax atrabilarium ſeu bilis acris, ſolidorum ſiccitas vel etiam rigiditas morbis cauſam dant. Cum oleis aethereis digeſtus vel cum iisdem quoque deſtillatus, aut ſuper aromatica, gratum odorem ſpirantia, abſtractus praeſtantiſſima remedia neruina praebet. Cum aromaticis, ſtimulum acriuſculum et ſaporem amaricantem, ſeu ſubdulcem cum ſenſu adſtrictorio in lingua excitantibus, digeſtus, carminatiua foeneratur; cumque bituminoſis ſubſtantiis balſamisque

ue natiuis tonico- neruina, in laxa ſolidorum
ompage proficua, exhibet.

§. 139.

Spiritus nitri dulcis eadem ratione, ob particu-
is oleoſas attenuatas mutatasque et cum ſpiritu
ini vnitas, menſtruum neruinum ſiſtit, quod in-
mul diureſin mouet et flatus pellit. Humores
fficacius quam liquor anodynus mouet, aeſtum
imen minuit et materiem morbificam in acutis
iorbis ad renes ducit perque vias vrinarias eua-
uat. Cum balſamis natiuis digeſtus diuretica
ntiputrida largitur, cumque oleis aethereis et re-
noſis ſtimulantibus ſubdulcibus coniunctus, car-
iinatiua in morbis, a debilitate primarum via-
um ortis, praebet.

§. 140.

Spiritus ſalis dulcis, rite paratus, itidem et
emedium et menſtruum neruinum, ſed ſingula-
e iterum, praebet. Tanta quidem vis neruina,
uae praecedentibus eſt, ei ineſſe non videtur, cum
leis aethereis tamen coniunctus vim hanc omni-
o acquirit, idque peculiare habet, quod putre-
ini, quae a viſcido pituitoſo cum vnguinoſa ſub-
antia coniuncto inque motum ducto oritur, re-
ſtat, inque vaſis ſubtilioribus concretiones viſci-
o-tartareas vel etiam calcareas ſoluat ſeu ad ſo-
itionem diſponat. Hinc ſimiles quoque con-
retiones in viis vrinariis ab eodem ſolui poſſe,
berandum eſt, inprimis ſi cum balſamis natiuis,
i vias has agentibus, coniungitur.

CLAS-

CLASSIS V.

MENSTRVA SALINO-OLEOSO-SPIRITVOSA.

§. 141.

Fluida haec menſtrua ſiſtunt, quae particulas oleoſo-ſalinas cum ſpiritu vini coniunctas continent. Reſpectu particularum oleoſo-ſalinarum reſoluentem vim obtinent, reſpectu ſpirituoſarum vero maiorem vim ſtimulantem et commouentem adipiſcuntur. Per ſe exhibita fibram muſcularem ſtimulant, eandemque, aquoſas glutinis connectentis particulas diſſipando, exſiccant. In humores corporis humani reſoluendo agunt, ita tamen, vt aqueis particulis nimium diſſipatis, oleoſis vero maxime attenuatis inque motum ductis, motus humorum velocior excitetur et fluiditas eorum inſignis producatur. Viſcidum morboſum reſoluunt et diſcutiunt, immo profundius penetrant idemque ex ſubtiliſſimis canaliculis educunt: quare etiam fieri ſolet, vt antiſpaſmodicam virtutem non raro praeſtent. Si oleoſo-ſalinae particulae ex alcali volatili et oleo aethereo conſtant, ſubtiliſſimum acidum cum viſcido ſubtiliſſimo coniunctum deſtruunt. Sin vero acidum oleo vnitum eſt, tunc certe materiem putridam, neruis inhaerentem, mouent et diſſipant. Sique demum ſalia media, cum oleis coniuncta, vſurpentur, viſcidum varii generis re-

ſolui

ſolui poterit. Itaque triplex enaſcitur horum menſtruorum differentia; primo ad ſalia volatilia oleoſa liquida, deinde ad acida oleoſo-ſpirituoſa, tandem ad ſalia media oleoſo-ſpirituoſa reſpiciendum eſt.

§. 142.

Salia volatilia oleoſa liquida ex alcali volatili oleo aethereo et ſpiritu vini componuntur. Licet vero eiusmodi compoſitio primo intuitu corpus ſaponaceum ſiſtere videatur, particulae tamen oleoſae et ſpirituoſae inprimis eminent; quare dicta fluida ſingulare menſtruum conſtituunt. Inſigniter haec menſtrua partes corporis humani penetrant, fibram muſcularem valde ſtimulant, oleoſam humorum partem exagitant, quieſcentem mouent et inſignem reſolutionem praeſtant, ita tamen, vt diſſipatis partibus tenuiſſimis ſemper exſiccent, corpusque ad alcaleſcentiam diſponant. Quapropter non niſi in eo caſu proſunt, vbi inſignis ſolidorum laxitas et imminuta irritabilitas eſt, vbi humores aqua, cum terreis particulis iuncta, abundant, et oleoſa humorum pars in viſcida illa aqua ſepulta quaſi haeret. Iuvant porro iſta menſtrua, ſi memoratum viſcidum acidam acrimoniam ſubtiliſſimam coniunctam habet, idque neruorum canaliculis inhaeret; tunc ſaepe antiſpaſmodicam vim exercent. Si igitur ſalia volatilia ſuper oleum empyreumaticum rectificantur cumque ſpiritu vini coniunguntur, menſtruum obtinetur, quod cum ſubſtantiis oleoſo-vnguinoſis, ſeu vnguinoſo-reſinoſis vel

etiam gummi-reſinis graueolentibus combinatum antiſpaſmodica remedia ſiſtit, quae hominibus laxioris habitus et viſcido aquoſo vel etiam acido plenis conducunt, inque morbis, a tali cauſa ortis, proficua ſunt.

§. 143.

Acetum oleoſo ſpirituoſum, id eſt, acetum deſtillatum cum oleo aethereo et ſpiritu vini mixtum fluidum praebet, quod valde penetrat, viſcidum pituitoſum vnguinoſum corrigit, atque enatum inde putridum deſtruit, itidemque a ſimili materie neruos liberat. Stimulat quidem fibram muſcularem et oleoſam humorum partem mouet, ſed, reſoluendo humores et oleoſam eorundem partem cum aquea coniunctam ſeruando, motum humorum absque aeſtu auget et diureſin promouet. Cum balſamis natiuis digeſtum remedium praebet, quod in vrinarias vias agit, quodque materiam viſcidam vnguinoſam inque putridam iam degenerantem deſtruit, vias abſtergit et ſanat. Cum ſubſtantiis reſinoſo - balſamicis coniunctum remedia dat, in morbis vteri putridis cum ſucceſſu propinanda.

§. 144.

Salia media oleoſo-ſpirituoſa, id eſt, ſalia media oleoſa cum ſpiritu vini coniuncta, lenem ſtimulum fibrae muſculari applicant et humores moderate attenuant, eorumque denſitatem minuunt, ita tamen, vt motus eorum naturali paulo magis auctus reddatur. In varias ſpiſſitudinis

humo-

umorum ſpecies agunt, et viſcidum tum vngui-
oſum, tum aquoſum tum etiam inflammatorium
tenuant et ad euacuationem diſponunt. Mi-
me vero omnia ſalia media oleoſo-ſpirituoſa
ddi poſſunt, ſed nonnulla tantum et ea inprimis,
iae ſpiritus vini connubium amant. Sic liquor
rrae foliatae tartari, cum ſpiritu vini et oleo ae-
ereo digeſtus, tale menſtruum praebet, quod
m ſubſtantiis gummoſo-reſinoſis coniunctum
ſcidum vnguinoſum et pituitoſum iners reſol-
. Liquor nitri flammantis oleoſi, cum ſpiritu
ii commixtus, poſtea cum gummoſo-reſinoſis
ſtantiis digeſtus remedium ſiſtit, quod in mor-
inflammatoriis, in quibus impetus ſedatus et
teries morbi impacta, quam primum fieri poſ-
reſoluenda eſt, cum ſucceſſu propinari, cen-
ius. Sal digeſtiuum *Syluii* balſamicum ſo-
um, cumque ſpiritu vini oleoſo mixtum, re-
dium praebet, quod viſcidum tenax, ſiccum
iſi, attenuat et ad ſolutionem et euacuationem
onit. Liquor cornu cerui ſuccinatus, ſal
moniacum liquidum empyreumaticum et ſal
eſtiuum empyreumaticum, cum ſpiritu vini
oniungantur, menſtrua dabunt, quae cum ſub-
tiis graueolentibus oleoſo-vnguinoſis aut vn-
ioſo-reſinoſis digeſta in morbis auxilium fe-
t, vbi a viſcido vnguinoſo ſubtiliori ſpaſmi
itantur, ſeu vbi ataxia ſpirituum a quieſcen-
imis parte oleoſa ſanguinis et laxitate ſolido-
i inſigni ſuboritur.

§. 145.

Haec de menſtruis in pharmacia adhibendis ſufficiant. Plura quidem addi potuiſſe, non negamus, ſed praecipua tantum adducere, animus fuit. Multa ſane, immo plura per artem excogitari inque vſum pharmaceuticum conuerti poſſe, dubitandum non eſt, et optandum omnino vt vires menſtruorum tum ſimplicium tum compoſitorum, reſpectu artis pharmaceuticae et medicinae nondum ſatis cognitae, vlterius explorentur et egregia haec doctrina, vtilitate nunquam deſtituta, quantum fieri poſſit, perficiatur. Si enim noua remedia, nouis cauſis morborum, in dies fere increſcentibus, opponenda obtineri poſſe, certo perſuaſi ſumus.

SECT.

SECTIO II.

ORDINES REMEDIORVM.

§ 146.

In coordinandis remediorum pharmaceuticorum generibus adhibitum eorundem externum § 59. reſpicere, naturae conſentaneum videtur. Genera enim nimis artificioſe et ſcrupuloſe excogitata et quae ad internum remediorum habitum et mixtionem pertinent, illis quidem, qui exercitati in arte iam ſunt, aliquam vtilitatem adferre poſſunt, neutiquam vero iis, quibus ob varia impedimenta in mixtiones corporum inquirere non licuit. Itaque primo remedia fluida, dein ſolida, tandem remedia conſiſtentiae mediae pertractanda eſſe, ipſa eorundem forma, ſenſu percipienda, ſuadet.

ORDO I.

REMEDIA FLVIDA.

§. 147.

Fluidorum notionem in minima ſeu potius nulla particularum conſtituentium cohaeſione eorundemque motu continuo §. 60. quaerimus. Itaque fluida remedia, iisdem his qualitatibus generalioribus ditata, ſubſtantias ſiſtunt, quarum particulae conſtitutiuae, vi ſalutari inſtructae,

ſtructae, in motu iam conſtitutae ſunt. §. 61. Atqui in aliis remediorum particulae, natura mobiles, cum aliis itidem mobilibus absque intercedente alio corpore coniunctae ſunt, in aliis vero particulae, natura quidem mobiles, ſed aliis minus mobilibus aut immobilibus prorſus implicitae, §. 61. ſicque in tali ſtatu fere quieſcentes, menſtruorum ope a vinculis plus minus liberantur inque motum maiorem minoremue ducuntur, ita tamen, vt particulae, natura immobiles mobilium ope ſimul in motum cieantur. Quapropter motum admodum diuerſum, hinc actionem quoque diuerſam remediis ineſſe debere, §. 62. colligendum eſt. Cum itaque diuerſa ob hanc rem praeparandi ratio locum hic inueniat, ſecundum quam actiuae corporum naturalium particulae, aliis minus actiuis et immobilibus implicitae, cum menſtruorum particulis, in motu conſtitutis, coniungendae ſunt, ad hanc praeparandi rationem reſpiciendum eſſe, neceſſario ſequitur. Non ſemper quidem vſitata hactenus nomina ipſi naturae rei conſentanea eſſe videntur, cum vero noua, licet apta magis, inuenire et inducere non liceat, in coordinandis remediorum claſſibus iisdem quidem nominibus vtendum eſt, ita tamen, vt, imminuta eorundem copia, dicta methodus ſimul obſeruetur. Itaque primo de deſtillatis, dein de infuſis, tum de decoctis tandem de emulſis agendum eſſe arbitramur.

CLAS-

CLASSIS I.

REMEDIA PER DESTILLATIONEM PARANDA.

§. 148.

In deſtillatione corporum naturalium ad ſubſtantias volatiles, a fixioribus ſeparandas, attendendum eſſe, chemia docet. Iam vero particulae volatiles, cum fixioribus coniunctae inque corpus humanum inductae tardius euoluuntur; hinc easdem, ſubſtantiis volatilibus iam euolutis inque motu conſtitutis lentius agere, ideoque diuerſos omnino effectus ſequi patet. Cum itaque medica praxis remediis opus habeat, quae particulas, iam euolutas inque veloci motu conſtitutas, contineant, nec ab aliis craſſioribus et lentius motis impediantur, remediorum per deſtillationem parandorum neceſſitas liquet. Cum porro et inter ſubſtantias volatiles differentia detur, et aliae magis aliae minus compoſitae ſint, eademque etiam differentia inter menſtrua, quorum ope actiua illa remedia parantur, obſeruetur, diuerſa menſtrua huic operationi impendenda eſſe et diuerſa conſequenter remedia obtineri poſſe, colligendum eſt. Pertinent ad hanc claſſem aquae deſtillatae, ſic dicti ſpiritus et olea deſtillata tam aetherea quam empyreumatica.

I.

A Q V A E.

§. 149.

Aquae deſtillatae odoratae fluida ſiſtunt aquoſa, particulis tantum volatilibus, nares ferientibus et ſaporem in lingua excitantibus, inſtructa. Eiusmodi remedia particulas, iam euolutas inque motu conſtitutas, continent; hinc in corpus ingeſta ſtatim actionem exercent: cumque eaedem particulae admodum ſubtiles ſint, ſubtiliſſima corporis vaſcula ſtatim eas penetrare inque fluidorum intima ſe inſinuare ideoque mutationem ſubito in corpore producere poſſe, putandum eſt. Diutius tamen eaedem, aquis inhaerentes, particulae volatiles, cum euolutae iam ſint, in corpore moras nectere nequeunt, ſed, circulantium humorum ope circumductae, vel ſtatim ſubiguntur vel per varia colatoria non multo poſt ex corpore expelluntur. Hinc ab omnibus aquis deſtillatis odoriferis celerem quidem humorum motum, ſed minime diu perdurantem, expectandum eſſe liquet.

§. 150.

Menſtruum, aquarum iſtarum deſtillationi inſeruiens, aqua pura ſimplex praebet, ſubiectum autem corpora quaeuis odorifera largiuntur. Omnia itaque corpora, odore deſtituta, huic operationi impendenda non eſſe, ſequitur. In ipſa autem operatione inſtituenda eo inprimis reſpiciendum eſt, vt partes tantum volatiles odoriferae

cum

cum aqua tranſcendant; hinc ſedulo cauendum, ne tantus motus in corporibus deſtillandis excitetur, quo, ob impetuoſius agitatas partes volatiles, in altum fixiores ſimul attollantur. Quapropter ignis ſenſim excitandus eſt, vſque dum aqua leniter ebulliat; lenis autem ebullitio tamdiu protrahenda eſt, quamdiu partes odoriferae prodeunt. Praeterea larga ſatis copia aquae ſimplicis corporibus odoriferis deſtillandis affundenda eſt, quo empyreuma, vires atque naturam aquarum inſigniter mutans, omni modo praecaueatur. Ob eandem quoque rationem dimidia ad ſummum pars elicienda eſt, idque eo magis obſeruandum, quo magis cauendum eſt, ne partes minus volatiles, non odoriferae, ſimul tranſcendant et aquam vel debilem reddant vel in peius mutent. Exemplum in ſequentibus dabo, ad cuius normam aliae aquae deſtillatae ſimplices parari poſſunt.

§. 151.

Aqua Cinnamomi.

Committatur balneo arenae cucurbita humilis, vitrea, aut terrea, nunquam metallica; repleatur ea corticis cinnamomi optimi contuſi parte vna; affundantur aquae purae ſimplicis partes duodecim. Alembico vitreo impoſito et recipiente ſat magno adaptato et commiſſuris farina, cum aqua ſubacta et chartae illita, optime clauſis ignis ſubſternatur lenis, ſenſim augendus, vſque dum materies, in vaſe contenta, leniter ebulliat. Protrahatur lenis iſta ebullitio, donec dimidia pars

euocata ſit. Ignis tunc exſtinguatur: aqua, in recipiente collecta et ab oleo aethereo, aquis interdum ſimul innatante, filtri chartacei aut infundibuli ſeparatorii ope ſeparata, corticis cinnamomi recentis parti vni denuo affundatur; addatur aquae ſimplicis tantundem, quantum in deſtillatorio vaſe antea relictum fuit. Inſtituatur denuo operatio et eadem, quae antea, obſeruentur. Repetatur labor quater vel ſexies. Habebis aquam cinnamomi praeſtantiſſimam, viribus egregiis inſtructam.

Vires.

Aqua cinnamomi, hoc modo parata, promtum ſtimulum, lenem tamen neque diu inhaerentem fibrae muſculari applicat, ſanguinis particulas ſubito exagitat neque tamen oleoſas a reliquis ſeparat; cum fluido nerueo ſubito ſe miſcet, idque auget et ad fibram muſcularem, ab actiuis huius aquae particulis iam irritatam, copioſius adpellit. Hinc vires corporis ſubito reſtaurat, circulum ſanguinis absque exaeſtuatione inſigni intendit et in omni morbo conducit, vbi ob deficientem fluidi neruei influxum irritabilitas fibrae muſcularis imminuta eſt et hanc ob cauſam ſuboriundae putredini cauſa ſuppeditatur.

§. 152.

Diſtinctio aquae cinnamomi et omnium aquarum deſtillatarum in ſimplices ſeu ſemel deſtillatas et cohobatas in officinis admittenda non eſt. Cum enim cohobatae ſimplicibus ſemper praeſtent, atque optimae indolis remedia in officinis

praeſto

raeſto eſſe debeant, vnica tantum ſpecies pro-
et, neceſſe eſt. Si vero debilior aqua poſtule-
ır, aqua cohobata additione aquae fontanae de-
illatae pro cuiuslibet medici indicatione debili-
ıri poterit. Doſis aquarum ſic deſtillatarum eſto
ochleare vnum, duo aut plura. Caeterum vel
ɔlae propinantur vel cum aliis conuenientibus
:mediis tum volatilibus tum fixioribus miſceri
: patiuntur.

II.

SPIRITVS.

§. 153.

Spiritus chemici, in genere conſiderati, flui-
a exhibent maxime volatilia, quae nares lin-
uamque acriter afficiunt. Inſunt iſtis particulae
ıaxime euolutae et attenuatae volatiles inque
ıotu velociſſimo conſtitutae. Hinc fibram mu-
:cularem valde ſtimulant, ſanguinem reliquos-
ue humores profunde penetrant, oleoſam eo-
ındem partem attenuant et velociſſime mouent,
uidum nerueum augent motumque eius plerum-
ue accelerant. Diuiduntur iſti ſpiritus in inflam-
ıabiles et ſalinos abſtractitios; hi, ignem exſtin-
uentes, in acidos et alcalinos, illi, flammam
oncipientes, in abſtractitios ſtricte ſic dictos et
piritus acidos dulcificatos rurſus diuidendi ſunt.

§. 154.

Spiritus inflammabiles abſtractitii vocantur,
uando ſpiritus vini ſuper corpora odorata deſtil-
ationis ope abſtrahitur. Menſtruum ſpiritus vi-
i, ſubiectum corpora odorata praebent. Ad eos
prae-

praeparandos ignis leniſſimus et balneum aqu
ſum ſeu vaporoſum requiritur. Deſtillatio a
tem, hac methodo obſeruata, ad ſiccitatem v
que protrahenda eſt. Exemplum ſpiritus cinn
momi eſt !

§. 155.

Spiritus Cinnamomi abſtractitius.

Repleatur retorta vitrea corticis cinnamon
contuſi parte vna, ſpiritus vini rectificatiſſimi pa
tibus ſex, ita, vt tertia pars vacua relinquatu
Imponatur retorta balneo vaporoſo, et more co
ſueto agglutinetur recipiens. Excitetur ſenſi
ignis, vſque dum aqua in balneo leniter ebulli
Proliciatur quicquid fluidum eſt: demum ign
exſtinguatur. Refrigeratis omnibus ſpiritus,
recipiente collectus denuo parti vni cinnamon
adfundatur et eodem modo deſtilletur, hicq
labor ad tertiam vicem vſque repetatur. Ob
nebitur ſpiritus cinnamomi abſtractitius effic
ciſſimus.

Vires.

Spiritus cinnamomi abſtractitius particul
ſumme euolutas inque velociſſimo motu conſ
tutas continet: quam ob rem fibram muſculare
efficaciſſime irritat, glutinis partes fluidas in v
locem motum rapit, motas diſſipat, hinc exſi
cat. Oleoſas humorum partes mouet, a reliqu
ſeparat et aquoſas diſſipat; hinc denſitatem a
ctam relinquit. Fluidi neruei motum cito inte
dit, ita, vt ab eo, copioſius ad fibram muſcu
rem delato, irritabilitas iam aucta vlterius inc

ſc

at, ideoque circulus humorum intendatur, partes aquoſae fluidiſſimae per diaphoreſin diſſipentur et aeſtus cum remanente exſiccatione inducatur. Saepius igitur vſurpatus iſte ſpiritus, ob inductam nimiam exſiccationem, irritabilitatem minuit et in neruis quaſi ſtuporem excitat. In genere calidum remedium cenſendum eſt, quod in illis tantum morbis proficuum eſt, vbi ob nimiam humorum aquoſitatem laxitas ſolidorum oboritur et oleoſa ſanguinis pars in viſcido aquoſo ſepulta quaſi haeret. Hocce reſpectu in morbis frigidiſſimis, a viſcido aquoſo ortis, vbi irritabilitas cito intendenda et pulſus crebrior excitandus eſt, egregium remedium ſtimulans neruinum calidum largitur. Externe in morbis partium, vbi reſolutio putredinoſa necroſin producit, applicatum putredinem arcet, partes exſiccat et ſphacelum cohibet. Sumitur a guttis decem et centum vſque ex vino, hydromelle vel ſaccharo exceptum.

§. 156.

Spiritus acidi dulcificati nominantur, quando naphtha, ex acido quodam et oleo vini producta, cum ſpiritu vini per deſtillationem arcte coniungitur. Menſtruum ſpiritus vini, ſubiectum naphthae ſiſtunt. In praeparatione dictorum ſpirituum primo ad naphthae praeparationem, dein ad ſpiritus vini adaptationem, tandem ad naphthae cum ſpiritu vini praeparato coniunctionem attendendum eſt. Naphthae praeparatio balneum arenae, ſpiritus vini adaptatio balneum vapo-

vaporis et naphthae cum ſpiritu vini coniunctio itidem vaporis balneum requirit.

§. 157.
Naphtha vitrioli.

Naphtha, praeparationi ſpirituum acidorum dulcificatorum inſeruiens, ſequenti modo obtinetur. Sumitur ſpiritus vini rectificatiſſimi quantitas pro arbitrio, huic tantundem acidi vitrioli fumantis ſenſim inſtillatur. Commixtione peracta et liquoribus per agitationem accurate permixtis absque digeſtione vas deſtillatorium balneo arenae committitur. Agglutinatur recipiens, cui antea, reſpectu capacitatis, ſexta pars aquae ſimplicis purae deſtillatae infundenda eſt. Omnibus rite obſeruatis ignis excitatur lenis. Prodibit primo fluidum ſpirituoſum, quod cum aqua, in recipiente reperiunda, ſe miſcet; ſubſequitur naphtha, quae partim aquae innatat, partim ſub ea colligitur. Deſtillatione ad finem perducta, recipiens remouetur et naphtha ſtatim ope infundibuli ſeparatorii ab aqua ſpirituoſa ſeparatur et in vitris bene clauſis ſeruatur.

§. 158.
Spiritus vini praeparationi acidi vitrioli dulcis inſeruiens.

Infunduntur in retortam vitream ſpiritus vini rectificatiſſimi partes quatuor; inſtillatur poſtea lenta admiſtione olei vitrioli concentrati pars vna. Imponitur retorta balneo vaporoſo et, recipiente agglutinato, inſtituitur deſtillatio, tamdiu protrahenda,

ahenda, donec nihil amplius in vas recipiens xſtillet. Habetur ita in recipiente fluidum odo-s et ſaporis lenioris ſuauiſſimi. Relinquitur in torta acidum forte, auſterum, aliis operatio-ibus inſeruiens.

§. 159.

Spiritus vitrioli dulcis.

Ex commixtione naphthae et ſpiritus vini a adaptati § 158. per deſtillationem producitur iritus dulcificatus, cuius operatio ita inſtituitur. ımuntur dicti ſpiritus vini partes viginti vel et-m triginta; admiſcetur iis naphthae pars vna. etorta, mixtos hos liquores continens, imponi-ır balneo vaporis. Deſtillatio continuatur, vſ-ıe dum omne fluidum tranſcenderit. Obtine-ır ſpiritus odoris ſaporisque gratiſſimi, nequa-ıam ſulphurei.

Vires.

Spiritus vitrioli dulcis irritabilitatem leniorem ı fibra muſculari excitat, partes humorum oleo-s cum aqueis exagitat et coniunctas ſeruat, flui-i neruei ſecretionem promouet, idem fluidum ıget et copioſius ad fibram muſcularem propel-t. Vires itaque excitat, pulſum pleniorem et ortiorem reddit, circulum humorum absque xaeſtuatione intendit, motum inteſtinum putre-inoſum tollit et diaphoreſin auget; caeterum orpus paululum exſiccat. Prodeſt igitur in mor-is, vbi ob deficientem fluidi neruei impulſum ritabilitas in fibra muſculari imminuitur et cir-ılus humorum inde languet, vbi porro ob im-

minu-

minutum circulum humorum, antea exagitato-
rum, motus inteſtinus putredinoſus ſuboritur
vel etiam vbi viſcidum vnguinoſum, ad ſubtiliſ-
ſimos canales delatum, vires proſternit et ſpaſmo
inducit. In genere neruinum antiputridum eſt
quod vires ſubito reuocillat et neruos quaſi robo-
rat. Doſis guttae decem ad quinquaginta ſaccha-
ro aut vino dulci oleoſo aut oxymelle exceptae

§. 160.

Spiritus acidi abſtractitii cum aceto in primi
vix autem cum aliis acidis parari poſſunt. Com-
ponuntur ex aceto et ſubſtantia quadam, odo-
rem de ſe ſpargente. Praeparatio eorum in bal-
neo arenae ſuſcipienda eſt, hac tamen cautione
vt vel minimum empyreuma arceatur. Quam
ob rem vix dimidia pars liquidi euocanda eſt.

§. 161.

Acetum caſtorei abſtractitium.

Committatur retortae vitreae caſtorei, odora-
tiſſimi, minutim conciſi pars una; affundantur
aceti vini optimi non deſtillati partes duodecim
Recipiente bene agglutinato ſupponatur ignis le-
nis, ad ebullitionem aceti vſque ſenſim augendus
Euocetur liquoris dimidia pars; exſtinguatur
ignis; vaſis paululum refrigeratis, ſeparetur re-
cipiens et acetum caſtorei abſtractitium in vaſe
bene clauſo ſeruetur.

Vires.

Acetum hoc vim leniter ſtimulantem in fibram
muſcularem exercet, viſcidum vnguinoſum, in
primi

orimis viis collectum leni modo diuidit et ali-
quantum corrigit, ſanguinem leniſſime reſoluit,
nec oleoſas partes ab aquoſis ſeparat. A ſubti-
iſſimis vaſculis receptum viſcidum vnguinoſum,
eo delatum, deſtruit et ad eliminationem diſpo-
nit; hinc motus fluidi neruei, hanc ob cauſam
rregulares factos, tollit et regulares reddit, neque
amen memoratum fluidum vehementer mouet.
Certe antiſpaſmodici antiputridi nomine inſi-
gniendum eſt, in illis morbis propinandum, vbi
ſpaſmi a viſcido vnguinoſo, in putridum muta-
o, excitantur. Doſis cochleare vnum aut duo.

§. 162.

Spiritus alcalini abſtractitii vel ex ſpiritu al-
calino puriori vel ex ſpiritu alcalino empyreuma-
ico et ſubſtantiis vel ſuaueolentibus vel graueo-
entibus parantur. Deſtillatio in balneo maris
aut vaporoſo inſtituenda et fluidum ad ſiccitatem
vſque proliciendum eſt.

§. 163.

Spiritus alcalinus foeniculi.

Immittatur in retortam vitream ſeminis foe-
niculi contuſi pars vna; adiiciantur ſalis ammo-
niaci partes duae; addantur ſalis alcalini fixi pu-
rioris partes quatuor; adfundantur demum aquae
purae ſimplicis partes quinque. Cunctis bene
commixtis, agglutinetur recipiens; excitetur
ignis et deſtillatio continuetur, donec nihil am-
plius exſtillet. Obtinetur ſpiritus alcalinus vo-
atilis, odore foeniculi impraegnatus. Vel

Committatur retortae vitreae ſeminis foeniculi contuſi pars vna; adfundantur ſpiritus ſalis ammoniaci partes tres. Imponatur vas balneo vaporis et, omnibus rite obſeruatis, deſtillatio ad ſiccitatem vſque continuetur. Obtinetur idem ſpiritus.

Vires.

Spiritus ſalis ammoniaci foeniculatus ſeu ſpiritus alcalinus foeniculi acutum fibrae muſculari ſtimulum applicat, humores inſigniter attenuat et oleoſam praeſertim eorum partem mouet, corpus ad alcaleſcentiam diſponit, et fluidum nerueum ſubito exagitat et copioſius ad fibram muſcularem deriuat. Prodeſt, in morbis, vbi ob viſcidum pituitoſum acidum irritabilitas imminuta eſt, oleoſa humorum pars in viſcido quaſi latet, et vires ſubito ad euacuandum iſtud viſcidum excitandae ſunt, vel idem viſcidum in ſubtiliſſimis vaſorum maeandris reſoluendum eſt. Sumitur ad guttas decem vel triginta ex aqua foeniculi.

§. 164.

Spiritus alcalinus foetidus caſtorei.

Indatur in retortam vitream pulueris caſtorei pars vna; adfundantur ſpiritus cornu cerui partes quatuor. Imponatur vas cum agglutinato recipiente balneo vaporis. Proliciatur quicquid fluidum eſt. Habebis ſpiritum alcalinum empyreumaticum, odore caſtorei foetum.

Vires.

Vires.

Spiritus cornu cerui caſtoreatus ſeu ſpiritus alcalinus foetidus caſtorei in genere easdem vires habet, quas praecedens manifeſtat; vehementius tamen humores commouet et aeſtum inducit. Praeterea antiſpaſmodicam vim exercet et praecipue in illis morbis valet, vbi ob laxam ſolidorum compagem irritabilitas imminuta deprehenditur, et humores inſuper viſcido pituitoſo acido abundant. In genere memoratus ſpiritus conducit, vbi torpor in circulo humorum eſt et ſpaſmi, a dicto viſcido excitati, animaduertuntur. Doſis guttae decem ad viginti in aqua caſtorei.

III.

OLEA DESTILLATA.

§. 165.

Olea deſtillata vel aetherea ſunt vel empyreumatica. Haec ex omnibus corporibus, gluten fouentibus, obtinentur et in deſtillatione vltimo prodeunt; illa vero ex vegetabilibus plerumque odore praeditis, in principio ſtatim expelluntur. Horum deſtillatio ita inſtituenda eſt, vt vires propriae illibatae ſeruentur et omnis impuritas praecaueatur. Itaque corpora, tali oleo donata, cum ſufficiente quantitate aquae ſimplicis combinanda ſunt; deſtillatio autem nequaquam ad ſiccitatem perducenda, caeterum in balneo arenae inſtituenda eſt. Empyreumatica olea ex corpori-

bus ſiccis absque aquae additamento proliciuntur et ignem arenae ſummum requirunt.

§. 166.

Oleum deſtillatum foeniculi.

Repletur cucurbita vitrea ſemine foeniculi ad quartam partem; affunditur aqua ſimplex pura, ita, vt tertia pars cucurbitae vacua maneat; adiicitur pugillus ſalis communis. Immittitur poſtea vas in balneum arenae, imponitur alembicus eiusque roſtro recipiens capax applicatur. Iuncturis luto rite firmatis excitatur ignis lenis, ad lenem aquae ebullitionem vſque ſenſim augendus. Tranſtillat cum aqua oleum; cuius deſtillatione ceſſante ignis exſtinguatur. Vaſis paululum refrigeratis oleum, in recipiente aquae innatans, infundibuli ſeparatorii aut, quod melius hic eſt, madefacti filtri chartacei ope ſeparatur et ad vſum in vitris, accuratiſſime clauſis, in loco frigido ad vſum ſeruatur.

Vires.

Olea aetherea, ſpiritu rectore, aut principio ſpecifico maxime actiuo praedita, menſtrua, in pharmacia ad deſtillationem apta, non praebent, ſed ob ſpecificam virtutem, §. 113. per ſe aegrotis exhibenda ſunt. Validum fibrae muſcularis ſtimulum applicant, oleoſam humorum partem inſigniter expandunt et mouent nerueumque fluidum in velocem ſaepe motum ducunt. Itaque non niſi in morbis, vbi valida humorum reſolutio et partium exſiccatio neceſſaria eſt, vbi actiones omnes languent et laxitas ſolidorum inſignis eſt,

eſt, neque viſcidum pituitoſum vnguinoſum aut atrabilarium aut inflammatorium ſed viſcidum pituitoſum iners aut cum acido coniunctum deprehenditur, conducunt. Cum faucibus et omnibus fere partibus ſenſibilibus internis firmius adhaereant et inflammantem ſtimulum applicent, per ſe exhiberi nequeunt, ſed cum ſaccharo trita cum aqua deſtillata, cum qua prodeunt, commiſcenda ſunt.

Quae de oleis aethereis in genere hic dicta ſunt, maximam quoque partem de oleo foeniculi valent: monendum autem adhuc eſt, praeter generales haſce vires cuicunque oleo aethereo odoratiſſimo ſingulares etiam vires ideoque et oleo foeniculi peculiares virtutes adſcribendas eſſe. Cum etiam olea aetherea, reſpectu partis reſinoſae, aliquantum a ſe differant, ad hanc quoque ſimul reſpiciendum erit. In oleo foeniculi reſinoſa, iſta pars ob plures partes mucilagineas, teneriores licet, lentior paulo eſt, hinc principium oleoſum tam cito euolui nequit, atque ob hanc cauſam principium iſtud ſpecificum, ſapore et odore percipiendum, diutius retinetur, nec tam cito viribus in corpore humano orbatur. Immo ob eandem hanc partem reſinoſam ſtimulus non adeo acris, ſat fortis tamen, fibrae muſculari applicatur, oleoſa humorum pars quoad ſubſtantiam quaſi augetur neque quidem ſubito, ad motum velociorem tamen ſuſcipiendum, diſponitur, aquoſa contra diſſipatur, circulus humorum ob ſolam denſitatem iam intenditur inſimulque ob

 ſenſim

ſenſim euolutum principium ſpecificum et auctum inde fluidi neruei motum excitatur. Quapropter calor et exſiccatio partium augetur et corpus ad bilioſam temperiem diſponitur. Prodeſt itaque foeniculi oleum, vbi viſcidum pituitoſum iners et aquoſa humorum colluuies frigidis morbis originem praebet; ſimul carminatiua, pectoralis et diuretica eiusdem vis patet. Doſis guttae tres ad quinque aut etiam plures.

§. 167.

Oleum cornu cerui foetidum.

Repletur retorta vitrea aut terrea raſura cornu cerui ad tertiam partem: collocatur ea profunde in balneum arenae. Receptaculo intermedio, retortae collo applicato, agglutinatur recipiens ſatis capax; tandem excitatur ignis ſenſim augendus, ita vt, deſtillatione ad finem vergente, retorta ſuperne prunis candentibus prudenter obruatur, et hicce ignis gradus continuetur, donec guttae prodire deſinant. Primo igitur aqua ſalina ſubtiliſſima, dein ſal ſiccus volatilis cumque hoc et ad finem vſque oleum empyreumaticum prodit. Deſtillatione ceſſante et vaſis fere frigefactis oleum madefacti filtri chartacei ope a reliquis productis ſeparatur et ad rectificationem reponitur.

§. 168.

Oleum cornu cerui rectificatum.

Repletur capite mortuo cornu cerui, ad albedinem calcinato, retortae vitreae quarta pars; inſtillatur

tillatur oleum empyreumaticum, ita vt dimidia re-
ortae pars aut vltra vacua maneat. Retorta in
alneum arenae poſita et recipiente agglutinato
xcitatur ignis lenis, ſenſim augendus. Deſtil-
atione finita oleum collectum denuo eadem ra-
ione et toties rectificatur, donec limpidum nec
dore empyreumatico inſtructum prodeat.

Vires.

Olea empyreumatica rectificata menſtruum
ro aliis corporibus deſtillandis vix largiuntur,
ed, actiua valde cenſenda, per ſe in vſum ducen-
la ſunt. Ineſt eis acer ſtimulus et talis, qui hu-
nores inſigniter inſimul attenuat et expandit. In-
le in nonnullis morbis vis anodyna et antiſpaſmo-
lica dependet. Conducunt iſta olea, vbi ſolida
dmodum laxa, humores aquoſi, acidi et in ge-
iere, ob defectum humorum, irregulares fluidi
ieruei motus huiusque defectus deprehendun-
ur. Doſis guttae quinque ad viginti ex vino
generoſiori.

CLASSIS II.

REMEDIA PER INFVSIONEM PARANDA.

§. 169.

Licet infuſorum nomine plerumque ea, quae affuſae aquae aut vini ope parantur, remedia pharmaceutica intelligantur, aliorum tamen praeparationem ſimul ſi intueamur, ad infuſionem omnino pertinere et producta iſtius operationis hanc ob cauſam itidem infuſorum nomine inſignienda eſſe, animaduertimus. Itaque infuſi nomen tanquam genericum nobis hic conſiderandum eſt, ita, vt omnia, quae hac ratione parantur remedia, in infuſa aquoſa, ſalina, inflammabilia et compoſita diuidamus, ſingula autem producta diuerſis nominibus inſigniamus et, euitandae ambiguitatis cauſa, denominationibus conſuetis ſimul vtamur.

§. 170.

Pertinent ad hanc claſſem nonnulla remedia, quae in officinis peculiares claſſes hactenus conſtituere videntur, et ſub eſſentiarum, tincturarum, elixiriorum, balſamorum, acetorum et oleorum compoſitorum nomine nota ſunt, licet non negandum ſit, denominationes has ab inuentoribus ſuis, ob peculiarem particularum contentarum indolem et ob habitum ipſius remedii

excogi-

excogitatas eſſe. Verum hodie diſcrimen iſtud non attenditur, ſed remediis hoc vel illud nomen, prout placet imponitur, ita, vt ab aliis remedium eſſentia vocetur, quod ab aliis tinctura appellatur. Immo adeo late patet eſſentiae nomen, vt non ſolum aceta compoſita ſed et tincturae, balſama, elixiria aliaque forte ſub eodem intelligi poſſint, ideoque dictum nomen pro generico iterum habendum ſit. Plerumque enim eſſentiae nomine indigitatur remedium pharmaceuticum fluidum, quod partes remedii ſimplicis actiuas, ad agendum aptiſſimas, continet. Cum autem eiusmodi deſcriptio alia etiam remedia pharmaceutica fluida, vt iam dictum, denotet, ſub eſſentiae quidem nomine fluidum pharmaceuticum actiuum intelligi poterit, ita tamen, vt eſſentia demum in varias iterum ſpecies, eſſentias nimirum ſtricte ſic dictas, tincturas, aceta compoſita, balſama et elixiria diuidatur. Ita eſſentia, ſtrictiori ſenſu ſumta, fluidum eſt, quod partes remedii ſimplicis actiuas omnes, tum craſſiores tum teneriores, a compedibus liberatas inque motu nunc conſtitutas, continet, ſiue eae euolutae et ad agendum iam promptiſſimae in ſimplici exſtiterint, ſiue eaedem minus euolutae et quieſcentes antea inhaeſerint. Tinctura erit, quae remedii ſimplicis partes teneriores euolutas et ad agendum iam aptas, a nondum euolutis motisque ſeparatas, fouet. Acetum compoſitum ſeu medicatum ab eſſentia et tinctura vix differt, praeter id, quod remedia, aceti ope pa-

rata, ob menſtrui huius excellentiam, nomine hoc donata fuerint; alias autem acetum, pro diuerſa particularum contentarum indole, vel eſſentiae vel tincturae nomine inſigniri poteſt. Balſamum eſt, quod in ſpecie partes exaltatas oleoſas aethereas, oleoſas vnguinoſas et reſinoſas, attenuatas quidem ſed nondum plane euolutas cum acidis coniunctas habet. Elixirium demum vocatur fluidum ſpiſſius, quod attenuatas partes craſſiores actiuas cum partibus tenerioribus nondum plane euolutis, et matricibus inſuper ſeu vinculis, aliquantum mutatis, coniunctas continet. Quodſi igitur hanc remediorum indolem et habitum perpenderis, aliquam omnino differentiam admittendam eſſe, putabis; hinc etiam nobis ratione denominationum aliqua ex parte ad eam reſpicere licebit. Modum tamen praeparandi ſi attendamus, memorata haecce remedia ad infuſa pertinent, ſiquidem dicta producta per ſolam infuſionem et digeſtionem ſubſequentem optime parantur.

§. 171.

Infuſa, in genere conſiderata, non ſolum partes volatiles ſed et fixas continere debent, ita comparatas, vt vtraeque tum hae tum illae, euolutae iam inque motum ductae, inhaereant. Cum autem particulae, euolutae inque motum ductae, vehementi motu conciliato eodemque inprimis diu continuato tantum motum concipiant, vt facile diſſipentur vel omnem vim et efficaciam amittant, neceſſe eſt, vt ſingularis attentio in

prae-

praeparandis infuſis adhibeatur. Nunquam igitur coctione vtendum eſt, ſed menſtrua vel frigide vel calide affundenda et commixta demum vel frigide vel calide, prout volatilitas et euolutio ſe habet, digerenda ſunt.

I.

INFVSA AQVOSA.

§. 172.

Infuſa haec remedia fluida ſunt, quae partes remediorum ſimplicium actiuas, ope aquae vel euoluendas vel euolutas eodem hocce menſtruo eductas, continent. Quare aqua menſtruum largitur et ſubiectum ea corpora ſuppeditant, quae vel odorem de ſe ſpargunt vel ſaporem manifeſtum in lingua excitant. Praecipue ad odoratiſſima corpora hic reſpiciendum eſt, vtpote quae particulas, iam euolutas inque motu conſtitutas ſeu ad agendum aptiſſimas, continent, quaeque facile diſſipantur. Quapropter nunquam decoctioni eiusmodi corpora ſubiicienda ſunt, ſed aqua calida tantum ſeu ebulliens adfundenda eſt, ne partes actiuae volatiles diſſipentur. Caeterum haec remedia, cum ob particulas euolutas motasque, breui abituras, corruptioni facile obnoxia ſint, in vſum non aſſeruanda ſed tunc demum paranda ſunt, quando neceſſaria eſſe videntur.

§. 173.

§. 173.

Infuſum caſtorei.

Pulueris caſtorei parti vni adfundantur aquae calidae partes decem. Infuſum ſtet per quadrantem horae in loco tepido; effundatur liquidum leni decantatione et tepidum adhuc aegro per vices exhibeatur.

Vires.

Vires huius infuſi antiſpaſmodicae leniſſimae ſunt, dictumque remedium in illis ſpaſmorum ſpeciebus conducit, vbi motus iſti irregulares cum ſiccitate coniuncti et leniſſimo modo absque ſanguinis exagitatione conſopiendi ſunt.

II.

INFVSA SALINA.

§. 174.

Infuſa ſalina, vt nomen indicat, ex menſtruo ſalino, remediis ſimplicibus affuſo, parantur. Cum ſalina menſtrua particulas multo magis actiuas, quam aqua, contineant, eademque inſuper ob diuerſam particularum indolem diuerſimode agant, infuſa haec in genere magis actiua, quam infuſa aquoſa, cenſenda et pro diuerſis morborum cauſis et variante ſimplicium remediorum indole diuerſa etiam menſtrua eligenda eſſe, certo ſequitur. Diuiduntur, ſicut menſtrua ſalina, in acida, alcalina et infuſa mediae indolis; ſingula autem, pro ſalium variante natura, in ſuas rurſus ſpecies diſtribuuntur. Praeterea infuſa memorata ob habitum

itum diuerſum diuerſamque particularum con-
entarum naturam varia ſortiuntur nomina et vel
ſſentiae vel tincturae vel elixiria appellari pot-
runt, hoc tamen diſcrimine, vt ſimplicis reme-
ii et menſtrui ſalini nomen ſimul indicentur.
Quod denique ad praeparationem attinet, men-
rua ſalina vel frigida vel, niſi indoles obſtet, ca-
da affundenda, poſtea digerenda ſunt, euapora-
io autem, quae ſemper fere ſub praetextu con-
entrationis inſtituitur, plerumque admittenda
on eſt, ſiquidem per euaporationem complures
aepe particulae actiuae abeunt et vires remedii,
iſi immutentur, certe tamen imminuuntur.

§. 175.

Tinctura imperatoriae cum acido vitrioli.

Radicis imperatoriae conciſae parti vni adfun-
antur acidi vitriolici diluti, §. 77. partes octo. Di-
erantur leni calore; liquori per filtrum traiecto
ddantur mellis deſpumati partes duae; digeran-
ur iterum aliquamdiu, poſthac decantetur liquor
t ad vſum ſeruetur.

Vires.

Tinctura imperatoriae, cum acido vitrioli pa-
ata, ſtimulantes quasdam et calidas huius radi-
is particulas, cum condenſantibus acidi vitriolici
oniunctas, habet ideoque vires antiputridas obti-
et et in morbis valet, vbi putrida humorum re-
olutio febres continuas comitatur. Sumitur ad
uttas decem et quinquaginta vſque bis, ter, qua-
er de die, aut ſi neceſſitas vrget, omni bihorio
x aqua mellita vel oxycrato. Si loco acidi vi-
triolici

triolici acidum nitroſum dilutum ſumitur et gummi ammoniaco adfunditur, infuſum poſtea melle edulcoratur, remedium antiputridum habetur, quod in putrida humorum diſſolutione, morbos inflammatorios ſubſequente, vſum habet. Doſis et modus vtendi vt in praecedente.

§. 176.

Eſſentia corticum aurantiorum cum acido vitrioli.

Corticis aurantiorum contuſi parti vni admiſcentur acidi vitriolici diluti, ebullientis partes decem vel duodecim; adduntur poſtea extracti eiusdem corticis partes quatuor. Digeruntur cuncta per bihorium in balneo maris. Liquor leni decantatione a faecibus ſeparatur et ad vſum ſeruatur.

Vires.

Vires huius eſſentiae ſunt antiputridae roborantes; hinc vbi a diſſolutione humorum putrida nimium alui profluuium vires proſternit et cohibendum eſt, conducit. Doſis guttae viginti ad ſexaginta. Superbibuntur aliquot vnciae infuſi corticum aurantiorum aquoſi calidi, corpore bene tecto, ad proliciendum lenem ſudorem.

§. 177.

Acetum corticis citri.

Corticis citri contuſi vel conciſi parti vni adfundo aceti vini optimi §. 83. ebullientis partes duas, et per quadrantem horae digero. Dein eiusdem aceti, ſed frigidi, addo partes quatuor

et

t cuncta per horam in balneo maris iterum di-
;ero, tandem liquorem per filtrum ſeparo.

Vires.

Acetum corticis citri vires obtinet ſtimulan-
es, diaphoreticas, reſoluentes, antiputridas.
'rodeſt, vbi in febribus continuis pulſus debilis,
utis ſiccitas, vrinae parcior effluxus deprehendi-
ur; in genere, vbi irritabilitas in continuis exci-
ında et motus ad peripheriam determinandi ſunt.
)oſis cochleare vnum aut duo. Si diaphoreſis
raecipue excitanda, infuſum corticis citri aquo-
ım cum melle commixtum aegro, bene coo-
erto, propinandum eſt et aliquot vnciae eius-
em ingerendae ſunt. Eiusmodi aceta, infuſio-
e parata, ad vſum reponenda non ſunt ſed recen-
a ob volatiles euolutas partes, facile exhalan-
:s, ſemper praeſtant, atque ideo, quoties requi-
ıntur, paranda ſunt.

§. 178.

Elixir centaurii minoris cum alcali fixo.

Herbae centaurii minoris conciſae partem
ım calidae ſolutionis ſalis alcalini fixi, §. 90.
artibus ſedecim affuſis digero per bihorium in
alneo maris. Liquorem colatum et expreſſum
nto igne in vaporis balneo inſpiſſo ad tertiae
ırtis conſumtionem; tandem cum decem cir-
ter partibus liquoris huius concentrati commi-
eo quatuor partes extracti centaurii minoris;
erum per horam in balneo maris digero et ſae-
: baculo ligneo moueo, et frigefactum liquo-
rem

rem in vaſe vitreo bene clauſo ad vſum repono.

Vires.

Elixir hoc ſaporis amari nauſeoſi corporibus laxis pituitoſis, acida ſaburra primarum viarum ſcatentibus, prodeſt, bilem acuit, acidam corrigit et digeſtionem promouet. Viſcidum pituitoſum cum acido coniunctum reſoluendo et immutando vermibus aduerſatur, multumque auxilium in morbis fert, qui ab hac cauſa naſcuntur et vbi inprimis irritabilitas ob memoratum viſcidum valde imminuta eſt. Sumitur ad guttas decem, viginti immo triginta vel in conuenienti aqua deſtillata vel in vino generoſo.

§. 179.

Eſſentia gummi ammoniaci cum liquore nitri regenerati.

Accipe gummi ammoniaci partem vnam; adfunde liquoris nitri regenerati, §. 100. partes duodecim: mixta digere per horae quadrantem liquori decantato adde extracti gummi ammoniaci aquoſi vel cum liquore nitri regenerati parati §. 244. partes quatuor. Mixta haec iterum in balneo vaporis per horam digere, tandem ad vſum ſerua.

Vires.

Habebis ita remedium, quod egregia vi reſoluente donatum viſcidum inflammatorium aeque ac atrabilarium attenuat et oleoſam ſanguinis partem, ab aquea ſecedentem, huic rurſus vnit, tumque attenuat et per diureſin ex parte euacuat.

Doſi

Doſis guttae quinquaginta ad centum ex hydromelle aut oxymelle ſimplici. Si loco liquoris nitri regenerati adhibetur liquor nitri flammantis, caeterum eadem obſeruantur, remedium obtinebis, quod efficacius et profundius penetrat, magis tamen ſtimulat. Doſis guttae triginta ad ſexaginta in iisdem vehiculis.

§. 180.

Tinctura balſami peruuiani cum liquore nitri regenerati.

Sumo balſami peruuiani nigri partem vnam; adfundo liquoris nitri regenerati aut nitri flammantis partes ſex. Digero mixta in balneo vaporis ſpatio quatuor horarum. Poſthac liquorem percolo et ad vſum repono.

Vires.

Haecce tinctura diſpoſitionem ad viſcidum inflammatorium, in vrinariis praecipue viis ſuboriundum, tollit, earundem viſcidum putridum reſoluit, vnguinoſum deſtruit et diureſin mouet. Sumitur ad guttas triginta immo ad centum vſque cum vehiculo aquoſo aut ſero lactis aut infuſo diuretico. Praeterea praeparationi emulſionis balſami peruuiani inſeruit, huiusque vires abstergentes et reſoluentes auget.

§. 181.

Eſſ. Myrrhae cum liquore terrae foliatae tartari.

Accipio myrrhae electae partem vnam; ſuperfundo liquoris terrae foliatae tartari partes de-

 cem;

cem; miſcelam in balneo vaporis per ſex horas digero. Liquori decantato addo extracti myrrhae, liquoris terrae foliatae tartari ope parati, partes tres; digero iterum per horam in eodem balneo ſaepeque bacillo ligneo moueo, tandem ad vſum in vitro bene clauſo repono.

Vires.

Eſſentia haec remedium reſoluens, balſamicum, leniter calefaciens ſiſtit, quod viſcidum pituitoſum laxum et acidum reſoluit, digeſtioni opitulatur, bilis efficaciam auget, viſcidum vnguinoſum deſtruit, humores leni motu exagitat et in morbis chronicis, in quibus ob lentorem humorum viſcidum vnguinoſum ſtagnans in putridam materiem degenerat, magni vſus eſt. Doſis guttae ſexaginta ad octoginta ex infuſo myrrhae aquoſo.

Si liquor terrae foliatae tartari cum purgantibus eadem ratione miſcetur, eademque praeparandi methodus obſeruatur, remedia egregia purgantia, vel minori in doſi ſi exhibentur, praeſtantiſſima reſoluentia, pro indole remediorum ſimplicium diuerſimode agentia, obtinentur. Doſes guttae decem ad centum et vltra in aqua ſimplici.

§. 182.

Ad normam hactenus deſcriptam alia menſtrua ſalina, §. 105. ad 110. vſque ſi eligantur et ſingula cum conuenientibus ſimplicibus coniungantur, remedia egregia obtinentur, quae vel euacuant

cuant et primas vias purgant, vel viſcidum variae indolis reſoluunt ſeu ad ſolutionem aptum reddunt.

§. 183.

Eſſentiae Aſae foetidae cum liquore cornu cerui ſuccinato.

Recipiatur aſae foetidae pars vna; liquoris cornu cerui ſuccinati partes ſex. Mixta primo abſque igne duorum dierum ſpatio in loco temperato poſthac in balneo vaporis per duas horas digerantur et liquor percolatus ad vſum ſeruetur.

Vires.

Eſſentia haec antiſpaſmodica viſcidum vnguinoſo-acidum reſoluit et ſubtiliſſima vaſa ab eo liberat: ſanguinem leniter commouet, neque tamen aeſtum inducit; motum fluidi neruei irregularem, a memorato viſcido obortum, corrigit tuncque vim anodynam exercet et ſpaſmis quoque primarum viarum, a viſcido acido prouenientibus, medetur. Doſis guttae triginta ad quinquaginta ex infuſo aſae foetidae aquoſo. Si cum quatuor partibus huius eſſentiae vna pars extracti aquoſo-ſpirituoſi aſae foetidae miſcentur et per horam in vaporis balneo mixta digeruntur, eſſentia efficacior euadit et in eo inprimis caſu vtilis cenſenda eſt, vbi inſignis ſolidorum laxitas, lentor humorum et viſcidum aquoſum abundans, cum acida acrimonia coniunctum, ſpaſmos generat. Doſis guttae decem ad triginta ex eodem infuſo aſae foetidae.

§. 184.

Eſſentia caſtorei cum ſale ammoniaco liquido empyreumatico.

Spiritus cornu cerui caſtoreati, §. 164. quantitati inſtilla ſenſim aceti abſtractitii caſtorei, §.161. tantum, quantum ad ſaturationem ſufficit. Liquoris ſaturati partes quatuor ſuperfunde parti vni pulueris caſtorei; mixta, per aliquot dies in loco temperato detenta, denique in balneo vaporis duarum horarum ſpatio digere et liquorem poſtea colatum ad vſum ſerua.

Vires.

Remedium hoc antiſpaſmodicum profunde penetrat et viſcidum ſubtiliſſimum pituitoſum vnguinoſum reſoluit, ideoque ſpaſmos, ab hac cauſa natos, tollit, ſimulque excretiones, a ſpaſmis cohibitas, absque inſigni humorum exagitatione reſtituit. Doſis guttae viginti ad centum ex aqua deſtillata caſtorei aut eiusdem infuſo.

III.

INFVSA INFLAMMABILIA.

§. 185.

Infuſa haec, quae ope menſtruorum inflammabilium, §. 110. ſeqq. parantur, vel oleoſa ſunt vel ſpirituoſa. Cum ipſa haecce menſtrua ob inflammabile principium, diuerſimode euolutum, cumque diuerſis ſubſtantiis arcte vnitum, deprehenda-

hendamus, infuſa quoque remedia admodum diuerſa praebere, facile coniicimus. Ratione praeparationis ad mobile iſtud principium inflammabile attendendum eſt, ideoque dicta menſtrua frigide ſemper adfundenda, interdum eadem absque calore interdum autem calide digerenda ſunt, hac tamen cautione, vt menſtruum caloris vi nequaquam immutetur et oleoſa inprimis a rancida acrimonia arceantur. Indoles compoſitionis his infuſis nomina imponit, quare eſſentiae, tincturae et elixirii vel oleorum infuſorum nomina huc quadrant.

§. 186.

Oleum foeniculi aloeticum.

Recipe aloes ſuccotrinae ſubtiliter tritae partem vnam; olei foeniculi partes decem. Digerantur abſque igne per aliquot dies in loco temperato. Oleum leni vaſis inclinatione a faecibus ſeparetur et ad vſum ſeruetur.

Vires.

Licet hocce remedium, ratione ſpiritus rectoris foeniculi, aliquo modo ad remedia compoſita pertineat, compoſitio tamen adhuc valde ſimplex eſt et docet, qua ratione corpora ſimplicia, vi peculiari donata, abſque iactura virium innatarum commiſceri queant. Oleum hoc foeniculi, aloes viribus ditatum, corpus calefacit, egregiam vim ſtimulantem et reſoluentem exercet, viſcidum pituitoſum laxum aquoſum attenuat, bilem

auget, aqueas partes diſſipat, maiori doſi ſumtum aluum mouet et roborat, vermes necat, exſcreationem promouet et prodeſt, vbi irritabilitas primarum viarum imminuta et digeſtio languida eſt. Si guttae duae ad decem vſque cum ſaccharo bene terentur et elæoſaccharum hoc cum aqua foeniculi miſcetur, remedium reſoluens carminatiuum, leniter primas vias purgans obtinebis; caue tamen, ne hominibus bilioſis, aut macilentis aut viſcido atrabilario ſcatentibus, iſtud exhibeas.

§. 187.

Oleum chamomillae infuſum.

Recipiatur pulueris ſummitatum chamomillae pars vna; adfundantur olei amygdalarum dulcium partes duodecim. Digerantur in balneo maris per horas duas et vltra. Coletur poſtea oleum et ad vſum ſeruetur.

Vires.

Clyſmatibus additum hoc oleum lubricat, acidam acrimoniam inuoluit et ſpaſmos ab hac acrimonia excitatos vel ſoluit vel mitigat. Idem, externe inunctum, in induratione viſcerum abdominalium, cum ſpaſmis coniuncta, prodeſt.

§. 188.

Oleum myrrhae infuſum.

Sumo pulueris myrrhae partem vnam; adfundo olei amygdalarum dulcium partes duas; mixta in mortario lapideo per quadrantem horae tero;

tritis adfundo eiusdem olei expreſſi partes ſex et in balneo maris ad duas horas digero et bacillo ligneo ſaepius moueo; tandem oleum per linteum colo et ad vſum repono.

Vires.

Oleum hoc, externe abdomini inunctum, ad viſcerum obſtructionem reſerandam quidquam confert et, cum clyſmatibus iniectum, exulcerationi inteſtinorum medetur et vermibus aduerſatur.

§. 189.

Eſſentia gentianae rubrae cum ſpiritu vini.

Recipiatur radicis gentianae rubrae pars vna; adfundantur ſpiritus vini rectificatiſſimi partes octo. Mixta, abſque igne per aliquot dies in loco temperato aſſeruata, poſthac per horam in balneo vaporis digerantur, tuncque percolentur. Liquori percolato addantur extracti gentianae rubrae partes tres, digerantur iterum per horam, tandem liquor ad vſum ſeruetur.

Vires.

Eſſentia haec, aqueas particulas abſumendo ſolidasque corporis partes exſiccando roborat et prodeſt, vbi a nimia viſcidi pituitoſi aquoſi copia inſignis ſolidorum laxitas eſt; vſum inprimis habet, vbi, poſt ſuperatos morbos, laxa inteſtinorum compages et aquoſa humorum indoles digeſtionem debilem reddunt. Doſis guttae ſexaginta ad octoginta ex vino generoſo.

IV.

INFVSA COMPOSITA SEV CVM MENSTRVIS COMPOSITIS PARATA.

§. 190.

Menſtrua cum dentur compoſita, §. 120. ſeqq. infuſa quoque hoc nomine inſigniri poſſe, putamus. Salinae, cum ſpirituoſis vel oleoſis vel hae cum ſpirituoſis vel ſpirituoſae demum cum ſalinis oleoſisque ſimul coniunctae, partes praecipuæ ſunt, quae in praeparatione infuſorum compoſitorum attendendae veniunt. Quanquam pleraque huius claſſis menſtrua calida affundi queunt, admixtae tamen ſubſtantiae cum iisdem tantum digerendae ſunt, immo nonnulla adeo frigide interdum adfundenda eſſe videntur. Pro digeſtione balneum maris vel vaporis optimum cenſendum eſt. Nomina pro diuerſo compoſitionis habitu diuerſa eis imponenda ſunt: inprimis eſſentiae et elixiria huc ſpectant.

§. 191.

Eſſentia pimpinellae albae cum tinctura antimonii tartariſata.

Recipiatur radicis pimpinellae albae conciſae pars vna; adfundantur tincturae antimonii tartariſatae partes octo; mixta per aliquot dies in loco temperato detineantur, poſthac in balneo vaporis per horas duas digerantur. Effundatur liquor per linteum et ad vſum ſeruetur.

Vires

Vires.

Eſſentia pimpinellae, hoc modo parata, inſigniter fibram muſcularem ſtimulat et humores potentiſſime reſoluit; quare non niſi, vbi irritabilitas, prorſus fere imminuta et laxa ſolidorum compages et copioſum viſcidum pituitoſum laxum vel cum acido coniunctum morbis ortum praebent, cum ſucceſſu propinatur. Datur a guttis decem ad quadraginta ex infuſo amaro aut amaricante.

§. 192.

Tinctura antimonii tartariſata cum oleo amygdalarum.

Accipe olei amygdalarum dulcium partem vnam; adfunde tincturae antimonii tartariſatae partes quatuor. Digerantur in loco tepido per viginti quatuor horas, vaſculum interim ſaepe concuciatur, tandem in vaſe bene clauſo aſſeruetur.

Vires.

Habebis ſic remedium, quod leniori ſtimulo, quam tinctura antimonii tartariſata vulgaris, inſtructum eſt. Ita enim parata haec tinctura vere oleoſo-ſaponacea eſt et viſcidum pituitoſum tenax reſoluit, vaſis meabilitatem conciliat et ſiccitatem, antea ortam, tollit. Hinc in morbis viarum vrinariarum et morbis pectoris, ab eadem hac cauſa natis, prodeſt. Doſis guttae viginti ad ſexaginta in emulſione amygdalarum.

§. 193.

Tinctura antimonii tartariſata cum oleo ſuccini.

Sumo olei ſuccini rectificati partem vnam adfundo tincturae antimonii tartariſatae partes tres vel quatuor; tunc vas ſaepius concutio, vſque dum oleum cum tinctura coniunctum cernatur. Coniuncta demum in vitro bene clauſo ſeruo.

Vires.

Remedium hoc ſtimulans neruinum valet, vbi ſtimulo opus eſt et nerui commouendi ſunt; e. g. in paralyſi, poſt apoplexiam relicta, vel a viſcido pituitoſo copioſo nata. Potentiſſime etiam reſoluit viſcidum pituitoſum acidum; hinc obſtructiones, ab hac cauſa ortas, tollit vel ad reſolutionem diſponit. Externe cum remediis neruinis reſoluentibus applicitum ad reſerandas obſtructiones et curandam paralyſin multum facit. Doſis, ſi ad internum vſum propinatur, guttae decem ad viginti ex emulſione aut infuſo ſaponaceo vel etiam aqua ſaponata.

§. 194.

Tinctura balſami peruuiani cum tinctura antimonii tartariſata.

Recipiatur balſami peruuiani nigri pars vna adfundantur tincturae antimonii tartariſatae partes quatuor. Mixta per aliquot dies in loco tepido detenta poſtea in vaporis balneo per horam digerantur: tandem liquor coletur et ad vſum ſeruetur.

Vires

Vires.

Habebis remedium potentiſſimum reſoluens, bſtergens, quod viſcidum pituitoſum tenax pe-ẗoris et viarum vrinariarum attenuat et vel per xſcreationem vel per renes educit, atque tunc ıpſrimis conducit, quando, ob imminutam ſeu eletam fere irritabilitatem, memoratum viſcidum, artibus tenaciſſime inhaerens, moueri nequit.)atur a guttis viginti ad quadraginta in emulſio-e aut aqua ſaponata.

§. 195.

Eſſentia Fumariae cum ſpiritu vini tartariſato.

Herbae fumariae conciſae pars vna ſuperfun-latur ſpiritus vini tartariſati partibus ſex. Dige-antur per aliquot dies in loco temperato poſthac ɔer duas horas in balneo vaporis. Liquori co-ato addantur extracti fumariae aquoſo-ſpirituoſi ɔartes duae. Digerantur iterum in eodem bal-ıeo per horam, et bacillo ligneo ſaepe mouean-ur, tandem ad vſum ſeruentur.

Vires.

Eſſentia fumariae, ſic parata, ab ea, quae ope ſpiritus vini rectificatiſſimi paratur, multum dif-ert. Minime enim coagulat, ſed viſcidum aquo-ſum primarum viarum cum acido coniunctum leſtruit, laxitatem inteſtinorum paululum minuit t digeſtionem promouet. Sumitur a guttis ſe-xaginta ad centum in infuſo fumariae aut pro ſcopo carminatiuo breui ante paſtum ex vino.

§. 196.

§. 196.

Eſſentia foeniculi cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo

Sumo ſeminis foeniculi partem vnam; ac-fundo ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi foenicula-partes ſex. Mixta per aliquot dies in loco tem-perato digero, poſthac per filtrum traiicio e ſeruo.

Vires.

Viſcidum aquoſum acidum, minimis fibra-rum interſtitiis inhaerens, ab hac eſſentia reſolu-tur et ex corpore eliminatur. Fibras enim in-teſtinales ſtimulat, tuncque digeſtionem ex par-te iuuat; motum in pectore excitat, quare viſci-dum per exſcreationem educit; tandem vias vri-narias irritat atque per diureſin euacuat. Caete-rum eſſentia haec, ſi memoratum viſcidum ner-vorum partes infeſtat, neruina quoque vi non deſtituta eſſe deprehenditur. Propinatur a gut-tis decem ad viginti cum aqua mellita, aut ſac-charo excipitur.

§. 197.

Tinctura balſami de Copaiva cum liquore ſalis digeſtiu balſamici.

Recipiatur balſami de copaiua pars vna; ad-fundantur liquoris ſalis digeſtiui balſamici ebul-lientis partes quatuor; digerantur in balneo ma-ris per horam aut vltra. Coletur liquor et aegro ſtatim propinetur.

Vires.

Haecce tinctura viſcidum pituitoſum vngui-noſum reſoluit et in primis in morbis viarum vri-

naria

riarum et ad ſoluendas concretiones calculoſas
lis cenſenda eſt. Doſis guttae centum et vl-
in vehiculo aquoſo.

§. 198.

Tinctura valerianae cum liquore ſalis digeſtiui empyreumatici.

Recipe pulueris radicis valerianae partem
am; adfunde liquoris ſalis digeſtiui oleoſi em-
reumatici calidi partes duodecim. Digere in
lneo vaporis per horam. Coletur liquor et ad
ım ſeruetur.

Vires.

Viſcidum pituitoſum acidum ſoluit haecce
ctura, hinc ſpaſmos, ab hac cauſa natos, tol-
; inprimis morbis vteri viſcidis, cum ſpaſmo
niunctis, medetur et vermibus aduerſatur. Da-
: ad guttas centum et vltra in infuſo valerianae.

§. 199.

Tinctura carlinae cum acido vitrioli ſpirituoſo.

Conciſae radicis carlinae pars vna ſuperfun-
tur acidi vitriolici ſpirituoſi partibus decem;
gerantur poſtea in balneo vaporis per dimidium
rae. Colato liquori admiſceatur pauxillum
ellis deſpumati et tinctura ad vſum ſeruetur.

Vires.

Remedium hoc acido-ſpirituoſum motum
morum paululum intendit, inteſtinum eorum
cet, hinc in putrida humorum diſſolutione, in
ipſis

ipſis febribus acutis oborta, propinandum eſt. Datur a guttis decem ad viginti ex aqua mellita aut oxymelle.

§. 200.

Acetum cinnamomi ſpirituoſum.

Accipio corticis cinnamomi contuſi partem vnam; admiſceo aceti vini ſpirituoſi non deſtillati partes ſex. Digero infuſum per aliquot dies in loco temperato, poſthac autem in balneo vaporis per horam: colatum ad vſum ſeruo.

Vires.

Habetur ita remedium, quod vires languidas excitat, putridam materiem deſtruit, viſcidum aquoſum attenuat, motum humorum leniter commouet et per diureſin euacuat. Hinc in multis morbis acutis aeque ac chronicis vtile cenſendum eſt hoc acetum, inprimis, vbi a defectu fluidi neruei irritabilitas imminuta deprehenditur. Datur cochleare vnum aut duo cum oxymelle aut infuſo cinnamomi aquoſo.

§. 201.

Acetum myrrhae ſpirituoſum.

Pulueris myrrhae electae pars vna ſuperfunditur aceti vini ſpirituoſi deſtillati partibus ſex. In loco tepido per aliquot dies detenta poſthac in balneo vaporis per horam digeruntur. Tandem colatum acetum ad vſum ſeruatur.

Vires.

Acetum hoc, myrrhae viribus donatum, fibras muſculares ſtimulat, viſcidum aquoſum in-

er-

ſs attenuat, humores ab eo liberat et laxitati ſolidorum medetur. Prodeſt igitur in pluribus morbis, vbi irritabilitas ob laxa ſolida et viſcidum pituitoſum iners fere deeſt, et ab eadem cauſa digeſtio turbatur et lenti morbi in putridos lentos degenerant. Datur a guttis quinquaginta ad centum ex vino aut infuſo amaro.

Si cum tribus partibus huius aceti committetur pars vna extracti myrrhae aquoſae et mixta te digeruntur, elixirium obtinebis, quod efficacius agit ſimulque putrida vlcera ſanat, et pituitoſis maxime conducit. Doſis huius elixirii guttae viginti ad quinquaginta.

§. 202.

Eſſentia centaurii minoris alkalino-ſpirituoſa.

Sumo herbae centaurii minoris conciſae partem vnam; addo ſolutionis ſalis tartari ſpirituoſae, §. 134. partes decem; mixta per aliquot dies in loco tepido repono, poſtea in vaporis balneo per horam digero. Liquori colato admiſceo extracti centaurii minoris aquoſo-ſpirituoſi partes tres, iterum digero et bacillo ligneo ſaepe permiſceo, tandem ad vſum ſeruo.

Vires.

Viſcidum pituitoſum, aqueis acidisque particulis abundans, haec eſſentia ſoluit, bilem acuit et a viſcido liberat, hinc digeſtionem promouet. Prodeſt etiam in aliis morbis lentis, qui ab obſtruente hoc viſcido acido proueniunt. Sumitur a gut-

a guttis triginta ad ſexaginta ex infuſo amaro aut aqua carminatiua.

§. 203.

Eſſentia Aniſi ſtellati cum alcali volatili ſpirituoſo.

Cum ſeminis aniſi ſtellati contuſi parte vna coniunge liquoris alcalini volatilis ſpirituoſi, §. 135. partes octo. Digere in vaſis bene clauſis in loco tepido per octiduum. Liquorem colatum ſerua.

Vires.

Viſcidum pituitoſum acidum, in ſubtiliſſimis canaliculis et interſtitiis haerens eſſentia haec ſoluit, motum fibrarum motricium, ab eodem hoc viſcido fere ſufflaminatum, excitat et ad reſerandas obſtructiones haud parum confert. Doſis guttae viginti ad quinquaginta ex aqua aniſi ſtellati deſtillata.

§. 204.

Eſſentia aloes cum ſale ammoniaco liquido ſpirituoſo.

Cum pulueris aloes ſuccotrinae parte vna commiſce ſalis ammoniaci liquidi ſpirituoſi partes quinque. Mixta ſtent in loco temperato per aliquot dies, tandem in balneo vaporis duarum horarum ſpatio digerantur et liquor, per filtrum ſeparatus, ſeruetur.

Vires.

Eſſentia aloes ſalino-ſpirituoſa primas vias ſtimulat, viſcidum iners pituitoſum reſoluit, vermes necat, euacuat, digeſtioni opitulatur et paululum exſiccat. Praeterea morbis lentis putridis, a viſcido pituitoſo vnguinoſo ortis, medetur, vlcera abſtergit et ad ſanationem diſponit. Datur

tur a guttis triginta ad centum in vehiculo aquoſo.

§. 205.

Eſſentia croci cum ſpiritu vitrioli dulci.

Recipe croci orientalis partem vnam; adfunde ſpiritus vitrioli dulcis partes octo. Digerantur in loco temperato per aliquot dies, ad extremum in balneo vaporis per horam. Liquor colatus ſeruetur.

Vires.

Eſſentia haec neruina ataxiae ſpirituum, a defectu fluidi neruei et aquoſa humorum indole ortae, pariterque atoniae, ab eadem cauſa dependenti, medetur; humores praeterea mouet neque tamen inſigniter expandit; hinc in multis morbis, vbi actiones languent, conuenit. Doſis guttae decem ad quadraginta, ſaccharo exceptae.

Si ſpiritus vitrioli dulcis ſuper crocum in balneo vaporis abſtrahitur, tuncque cum croco digeritur, remedium multo efficacius obtinetur, cuius decem ad viginti guttae ſaccharo exceptae promtum auxilium ferunt et vires ſubito reſtaurant.

§. 206.

Eſſentia corticis caſcarillae cum ſpiritu vitrioli dulci.

Cum corticis caſcarillae contuſi parte vna commiſce ſpiritus vitrioli dulcis partes octo; repone mixta in loco temperato per quatriduum; poſtea in balneo vaporis per bihorium digere. Liquorem colatum ſerua.

Vires.

Remedium hoc tonico-neruinum laxam inteſtinorum compagem roborat et in genere relaxationi ſolidorum, a viſcido aquoſo ortae, medetur. Datur a guttis quadraginta ad ſexaginta ex vino.

§. 207.

Eſſentia aniſi cum ſpiritu nitri dulci.

Cum olei aniſi deſtillati parte vna commiſce ſpiritus nitri dulcis partes ſex. Bene commixta in vitro accurate clauſo ſeruentur.

Vires.

Spiritus nitri dulcis, aniſi viribus turgens, fibras motrices ſtimulat, fluidi neruei motum auget, pituitam viſcidam aquoſam attenuat, cumque aquea humorum parte coniungit et euacuat: hinc digeſtioni ciborum, ab hac cauſa debilitatae, opitulatur, tuncque vim carminatiuam exercet, et diureſin mouet. Doſis guttae decem ad viginti ſaccharo exceptae.

§. 208.

Eſſentia Aſae foetidae cum ſale ammoniaco liquido empyreumatico ſpirituoſo.

Sumo aſae foetidae partem vnam; admiſceo ſalis ammoniaci liquidi empyreumatici ſpirituoſi partes ſex. Mixta in loco temperato per aliquot dies detineo, poſthac in balneo vaporis per duas horas digero. Liquorem colatum ad vſum repono.

Vires.

Vires.

Eſſentia haec antiſpaſmodica fibram muſcula-em ſtimulat, humores mouet, viſcidum pituito-um iners, vel aqueis particulis abundans, reſoluit, uncque paululum exſiccat; hinc morbos et ſpa-mos, ab hac cauſa natos, ſanat. Macilentis et iliofis; aut qui viſcido atrabilario laborant, vix rodeſt. Datur a guttis quadraginta ad ſeptua-inta ex aqua vel infuſo antiſpaſmodico.

CLASSIS III.

REMEDIA PER COCTIONEM PARANDA.

§. 209.

Sub decocti nomine intelligitur remedium, quod ex fluido minus volatili et ſubſtantia ſolida, fixis particulis donata, ſola decoctio-e, ad ebullitionem vſque euecta, producitur. Ple-umque quidem inter fluida ad hunc laborem ad-bentur aqua et cereuiſia, alia tamen menſtrua, rticulis actiuis praedita, decoctioni ſimul inſer-re poſſe, arbitramur. Inprimis ea fluida eli-nda ſunt, quorum partes conſtitutiuae coctio-: non tam cito disiunguntur et diſſipantur, quae-ie fixiores partes, cum multa aqua firmiter, con-nctas fouent. Ita lac, ſerum lactis et aqua, m ſalibus mediis fixioribus coniuncta, multum c valent et in recludendis corporibus fixis, arcte ter ſe connexis, plura praeſtant. Licet autem

 alia

alia quoque menſtrua, partibus volatilibus donata, ſimul adhiberi poſſint, ea tamen, ſi ebulliant, partibus volatilibus, fixas ſecum abripientibus, ſpoliantur, ideoque multum virium amittunt, et effectu demum ſperato deſtituuntur. Quod ad ſolidas ſubſtantias attinet, non niſi tales eligendae ſunt, quae, cum menſtruo coniunctae, ignis vim diu ferunt, antequam in mixtione mutationem, notatu dignam, ſubeant. Pauca exempla adduxiſſe ſufficiet.

§. 210.

Decoctum radicis gentianae rubrae cum liquore tartari vitriolati.

Radicis gentianae rubrae conciſae partem vnam immitto in vas terreum non vitreatum; adfundo aquae purae ſimplicis ebullientis partes duodecim, addo liquoris tartari vitriolati partes decem. Coquuntur omnia per horae ſpatium; liquor per linteum colatus et frigefactus ſtatim in vſum ducatur.

Vires.

Vſum habet hoc decoctum in morbis, vbi viſcidum pituitoſum vel iners, vel cum acida acrimonia coniunctum, reſoluendum eſt. Egregie enim attenuat, ita tamen, vt ſolidae partes ſimul robur accipiant, neque, vt a reſoluentibus perſaepe fit, relaxentur: hinc laxis, pituitoſis laudabilem medicinam praebet, immo, ciborum coctionem iuuando, a viſcido praeſeruat. Sumitur omni bihorio ſexta ſeu octaua pars.

§. 211.

§. 211.

Decoctum ligni Guajaci cum ſolutione ſalis ammoniaci vulgaris.

Recipe raſurae ligni guajaci partem vnam; adfunde ſolutionis ſalis ammoniaci vulgaris partes ſex: mixta digere in loco tepido per viginti quatuor horas; adde poſthac aquae purae ſimplicis partes viginti cunctaque per horam et vltra coque. Liquor colatus et adhuc calidus aegro propinetur.

Vires.

Habebis ita remedium, quod viſcidum pituitoſum tenax valde attenuat, ſolidas partes ſtimulat, motum humorum intendit, ad diaphoreſin diſponit, eandem etiam mouet ſicque materias acres ſubtiliſſimas expellit.

§. 212.

Decoctum gummi ammoniaci cum hydromelle.

Cum gummi ammoniaci parte vna commiſce aquae mellitae partes triginta. Coquantur mixta per horae ſpatium. Liquor adhuc calidus coletur et tepidus aegro propinetur.

Vires.

Laudabilem effectum edit hocce decoctum in morbis, qui a viſcido inflammatorio aeque ac atrabilario proueniunt. Attenuat enim et per primas vias interdum etiam per diureſin aut exſcreationem euacuat. Intra octo horas per vices ingeritur.

CLASSIS IV.

REMEDIA EMVLSA.

§. 213.

Emulctum ſeu lac, arte factum, eſt fluidum, quod partes oleoſas, ope ſalinarum cum aqueis et terreis coniunctas, tenet, ita tamen, vt leui negotio oleoſae ab aqueis ſecedant cumque ſalinis quibusdam ſeorſim colligantur. In praeparatione eorum eo ſemper reſpiciendum, vt talia corpora eligantur, quae partes oleoſas, cum mucilagineis coniunctas, fouent. Cum enim in mucilagine partes oleoſae cum terreis et ſalinis arctius coniunctae ſint, accidit quoque, vt oleoſae admixtae facile cohaereant, tuncque eo diſponantur, vt addita aqua per ſolam triturationem oleoſas has partes ſibi vniat et, quamdiu mucilagineae non mutantur, coniunctas ſeruet. Cumque praeterea eiusmodi corpora, oleoſo-ſaponacea dicenda, alia corpora, in quibus oleoſae particulae cum aliis plus minus compoſitis ſubſtantiis ſalinis coniunctae ſint, aquae miſcibilia reddant, varias omnino emulſiones variae indolis et actiuas perſaepe parari poſſe, colligimus.

§. 214.

Emulſio gummi ammoniaci oleoſo-ſaponacea.

Cum gummi ammoniaci partibus duabus commiſce olei amygdalarum dulcium partem vnam.

vnam. Bene tritis adfunde tincturae antimonii tartariſatae partes tres. Cuncta denuo exacte terantur, et inter terendum aquae purae ſimplicis addantur partes octo. Trituratione per ſemiquadrantem horae continuata emulctum filtretur et ſtatim in vſum ducatur.

Vires.

Vinculis gummi ammoniaci ex parte ſolutis partibusque componentibus aliquantum euolutis inque motum ductis emulſio obtinetur, quae ex particulis gummi ammoniaci gummoſis cunctis compluribusque reſinoſis attenuatis, ſimulque oleoſis et alcalinis componitur et remedium reſoluens oleoſo-ſaponaceum ſiſtit, quod ad reſoluendum viſcidum pituitoſum tenax, vel cum acido coniunctum, vel cum concretionibus terreis vnitum, multum facit, inque multis morbis chronicis, ab hac cauſa pendentibus, conducit. Datur omni bihorio cochleare vnum.

§. 215.

Emulſio terebinthinae cum ſapone veneto.

Cum terebinthinae venetae parte vna commiſce olei amygdalarum dulcium partes duas, vel tantundem, ſaponis veneti partem vnam aut duas. Bene tritis adde aquae fontanae deſtillatae partes decem. Cuncta per quadrantem ho-

rae trita et per linteum colata ſtatim aegro propinentur.

Vires.

Tenacitate terebinthinae per oleum et ſaponem ſublata, balſamus iſte natiuus aquae miſcibilis redditur et emulſio obtinetur, quae viſcidum pituitoſum tenax, vel cum vnguinoſa ſubſtantia coniunctum, reſoluit, primas vias aeque ac vrinarias abſtergit, vlcera earundem depurat, humores attenuat, leniter mouet et per aluum perque vrinam euacuat. Sumitur omni trihorio cochleare paruum.

ORDO

ORDO II.

REMEDIA SOLIDA.

§. 216.

Solidum remedium ea dicitur ſubſtantia naturalis, cuius particulae, oculis percipiendae, ſiue inertes ſint ſiue actiuae, quieſcunt et mo- ore opus habent, quo in motum duci et actiuae nprimis, in motum nunc ductae, actionem ſuam exercere queant. Cum corporum ſolidorum ionnulla ex meris particulis inertibus plurima au- em ex inertibus et actiuis ſimul componantur, ;. 64. nec vllum reperiatur, a quo inertes, quae quippe baſin ſuppeditant, plane abſint, ad has primo attendendum eſſe, ſequitur. Inertes enim, icet per ſe nihil efficiant, cum aliis tamen acti- vis coniunctae, actionem ſimul exercent, quae, prout vnio ſe habet, plus minus efficax eſſe ſolet. Praeterea ad copiam harum particularum reſpi- ciendum eſt, quae interdum inſignis eſt, ita, vt coniunctae cum iisdem particulae actiuae prorſus nihil agant vel in actione admodum debilitentur.

§. 217.

Plurima ex his ſperare licet. Sic ſolida corpora, ex inertibus et actiuis compoſita, ſi in corpus humanum introducuntur et in motum rapiuntur, actionem magis conſtantem et diutius durantem exercent, quam fluida. §. 65. Porro in-

 ertium

ertium particularum ope actiuae ſaepe ita figun-
tur, vt, extra corpus humanum in vaſis idonei
adſeruata, remedia diutius perdurent nec corrum-
pantur. Cum autem ſolidae iſtae ſubſtantia
abſque fluido, in motu quippe conſtituto, nih
praeſtent, fluidum vero ſeu menſtruum, ſi in mo-
tum ſubſtantiae ſolidae ducendae ſunt, nexum
tollere et ſeparatas partes ſibi vnire ſicque in mo-
tum ducere debeant, neceſſe eſt, vt menſtruum
conueniens tum in ipſo corpore humano vel aliud
extra illud reperiundum, chemicum ſcilicet, iis-
dem admiſceatur, quo rite vnito particulae ſolid
corporis actiuae omnino euadant. Ex his itaque
neceſſitatem horum remediorum elucere eadem-
que in officinis quoque praeſto eſſe debere, patet.
Cum vero in recta eorundem praeparatione mul-
tum poſitum ſit, eaque pro diuerſa mixtionis e
habitus indole variet, in varias claſſes haec ipſ
diuidere, cogimur. Primo igitur de iis, quae pe
coagulationem, deinde quae per praecipitationem
porro quae per cryſtalliſationem, tum quae pe
ſublimationem, tandem quae per calcinationem
parantur, nobis agendum eſt.

✵ ✵ ✵

CLAS-

CLASSIS I.

REMEDIA PER COAGVLATIONEM PARANDA.

§. 218.

Nullum corpus niſi fluidum coagulatur. Cum autem nullum fluidum abſque particulis, natura ſolidis, coagulari poſſit, requiritur, t corpora eligantur, quae et fluidas partes et ſo- idas, inter ſe coniunctas, fouent. Neceſſarium uoque eſt, vt ſolidae partes fluidarum ope in notu ſint ipſaeque inſimul fluidae prius exiſtant; uam ob rem coagulationem quamcunque ſolu- io praecedere debet, qua quippe ſolidae partes, n motum nunc ductae, cum fluidis arctius con- unguntur, haeque demum, per ſubſequentem in- piſſationem ſeu ſuperfluarum partium fluidarum uaporationem cum ſolidis arctius coniunctae, ſo- idum nunc corpus conſtituant. Pertinent huc rae reliquis ſapones, balſama et emplaſtra.

I.
SAPONES.

§. 219.

Sapo ſtricte ſic dictus ſolidum dicitur corpus, uod ex particulis oleoſis alcalicisue arcte vnitis onſtat, cum aqua et omnibus fluidis inflamma- ilibus ſe miſcet et olea oleoſasque ſubſtantias quae miſcibiles reddit. Quo firmior nunc inter leum et alcali cohaeſio eſt, eo praeſtantior iudi-

catur

catur ſapo: ſique praeterea cum oleo aliud co pus, ſingulari vi donatum, coniungitur et alca demum additur, ſapo medicatus, ſpecifica vi do natus, obtinetur. Ad praeparandos hos ſapone primo oleum, ope alcalici fluidi penetrantioris a tenuandum, dein alcali addendum, tandem cun cta per coctionem rite inſpiſſanda ſunt.

§. 220.

Sapo medicatus.

Cum tincturae antimonii tartariſatae partibu duabus commiſceatur olei amygdalarum dulciu pars vna; mixta per ſex aut octo horas in loc temperato digerantur ſaepeque, vas concutiendo coagitentur. Dein dicti olei eadem quantita adfundatur et eadem, quae antea obſeruentu Tandem olei tartari per deliquium partes dua aut tres addantur, miſcela ſuper lenem igne coquatur et ſenſim ad iuſtam ſaponis conſiſte tiam inſpiſſetur.

Vires

In hoc ſapone partes multo magis attenuata quam in communi ſapone veneto ſunt, hinc iſtu in minores partes ſimilares in corpore human diuidi poſſe, colligendum eſt. In genere eade praeſtat, quae ſapo venetus; viſcidum enim p tuitoſum tenax vel etiam cum acido coniunctu reſoluit, humores attenuat, fibram ſolidam ſt mulat et materiem morboſam ad euacuatione diſponit. Cum autem partes magis attenuata ideoque mobiliores ſint, dictus ſapo profundi

parte

rtes penetrare et viſcidum ſubtilius reſoluere let.

§. 221.

Sapo camphoratus.

Camphorae partem vnam ſolue in olei amydalarum dulcium partibus tribus, adde tincturae ntimonii tartariſatae partes quatuor, in quibus na pars camphorae ſoluta eſt. Digere mixta loco tepido per octo horas et vaſculum ſaepe oncute. Superfunde poſtea olei tartari per dequium, reſpectu olei, partes tres. Tandem mnia leni igne coque et ad conſiſtentiam ſoliam inſpiſſa.

Vires.

Sapo hicce camphoratus, ob particulas maime diuiſas inſigni vi penetrante nec leui ſtimunte donatus, viſcidum pituitoſum ſubtiliſſimum el idem vnguinoſum vel cum acido coniunctum, ſubtiliſſimis canaliculis haerens reſoluit, fibram uſcularem irritat et oleoſam humorum partem ommouet, attenuat cumque aquea coniungit et er diaphoreſin euacuat. Datur a granis aliquot d ſcrupulum vnum vel per ſe in forma pilulari el in aqua ſolutus.

II.

BALSAMA.

§. 222.

Balſamum vox ambigua eſt: varia enim reedia et ſolida et fluida et conſiſtentiae mediae oc nomine inſigniuntur; ſed de ſolido hic tanum agimus. Vocatur balſamum ſolidum praepara-

paratum pharmaceuticum, quod ex ſubſtantiis oleoſis vnguinoſis aeque ac aethereis pariterque reſinoſis, ſubſtantia vnguinoſo-reſinoſa ſolidiore exceptis, paratur, quodque, manibus tractatum, molle fit et euaneſcit. In praeparatione eorum ad olea, cum ſubſtantiis inflammabilibus ſolidis rite coniungenda, reſpiciendum eſt. Hinc primo oleorum vnguinoſorum cum oleis aethereis commixtio, dein ſubſtantiae vnguinoſo-reſinoſae ſuper ignem lenem liquefactio, tandem oleorum cum liquefacta iſta ſubſtantia ſolidiore admixtio et coagulatio attendenda eſt.

§. 223.

Balſamum foeniculi.

Cum olei nucis moſchatae aut alius expreſſi purioris partibus tribus commiſce olei foeniculi partes duas: adde coloris gratia pauxillum cinnabaris factitiae. Bene commixta ſenſim admiſce cerae albae, ſuper lenem ignem liquefactae et ab igne remotae, adhuc tamen fluidae, partibus quinque, cunctaque continua agitatione ope ſpatulae ferreae commiſce, vſque dum ſolidam formam induant. Balſamum in vaſis idoneis ad vſum ſerua.

Vires.

Remedium hoc, foeniculi viribus donatum, externo vſui deſtinatur, et abdomini affrictum vim carminatiuam exercet. Praeterea ad reſolutionem tumorum frigidorum et indurationum quid-

uidquam facit. Si loco foeniculi olei, aliud eum ſumitur, alia vis expectanda eſt; ſic oleum ccini rectificatum balſamum largitur, quod in aralyſi membrorum proficuum eſt.

III.

EMPLASTRA.

§. 224.

Emplaſtrum rite paratum eſt ſubſtantia ſo-da, quae manibus tractata molleſcit et ex pin-uibus oleoſisque cum aliis efficacioribus con-unctis ſubſtantiis componitur et corpori extrin-cus applicatur. Praeparatio eorum corpus uoddam ſolidum requirit, quod ſubſtantias uidas et ſolidas eo diſponit, vt hae, ab igne emotae, molles ſeruentur neque vt antea indu-entur, illae autem ſolidam conſiſtentiam acqui-ant et calore leniſſimo admoto molles euadant, eque corpora admixta ita apta reddant, vt par-culae actiuae moueantur et actionem ſuam exer-eant. Huic fini plerumque pinguia, reſinae et lea expreſſa ſatisfaciunt, quae vero ſuper ignem um aliis partim ſolidioribus partim fluidioribus a commiſcenda ſunt, vt innatae virtutes nequa-uam corrumpantur. Caeterum magnus adeo pparatus neceſſarius non eſt et vnum ſaepe cum tero coniunctum corpus ſufficit, immo quo mplicior compoſitio eſt, eo praeſtantius erit nplaſtrum.

§. 225.

§. 325.

Emplaſtrum de gummi Galbano.

Gummi galbani partes duae terantur cum ſufficiente quantitate vitelli ouorum; inter terendum addatur olei galbani infuſi, ex dicto gummi et oleo lini ad modum, §. 188. parati pars vna; bene mixta commiſceantur cum cerae flauae ſuper lenem ignem liquefactae, partibus duabus vel tribus; tuncque per quadrantem horae ſpatula lignea permiſceantur, ab igne remota frigeſcant, in bacilli formam redigantur et ad vſum ſeruentur.

Vires.

Emplaſtrum hoc de galbano, ſuper alutam aut linteum extenſum, tumores frigidos, a viſcidis humoribus obortos, diſcutit et emollit, ſimulque vim antiſpaſmodicam exercet, et viſceribus obſtructis externe applicatum ad reſolutionem eorum, per interna remedia praeſtandam, quicquam facit.

CLASSIS II.

REMEDIA PER PRAECIPI-TATIONEM PARANDA.

§. 226.

Praecipitatio, in genere conſiderata, ſpecies quidem coagulationis eſt, ſtricte ſic dicta vero a coagulatione, proprie ita vocanda, in eo liffert, quod corpora, in menſtruo aliquo ſoluta, braegreſſa menſtrui mutatione in forma ſolida undum petant nec cum menſtruo amplius firmier cohaereant. Praecipitata, in pharmacia adeeruanda, vel ſalina ſunt, vel inflammabilia vel errea vel mixta; finis vero huius operationis vel n remediorum depuratione vel in nouorum proluctione vel demum in virium concentratione onſiſtit. Praeparatio eorum requirit, vt ſubtantiae ſolidae menſtruo antea bene ſoluantur, olutio rite percoletur et mutationes ſolutioni ſenim paulatimque inducantur.

§. 227.

Cremor tartari praecipitatus.

Liquori tartari tartariſati adfunde olei vitrioi tantum, quantum ad praecipitationem ſufficit. Nulla ſubſtantia ſolida ad fundum amplius deſcenlente liquor ſupernatans decantetur. Cremor artari praecipitatus aqua frigida abluatur et ſuper hartam bibulam lente exſiccetur.

Vires.

Cremor tartari, hoc modo paratus, communi purior et magis actiuus eſt, facilius a menſtruis aquoſis ſoluitur et bilem alcaleſcentem egregie corrigit. Caeterum in omni caſu valet, vbi vulgaris vſurpatur.

§. 228.

Reſina Ialappae.

Eſſentiae radicis ialappae, ope ſpiritus vini paratae, pars vna commiſceatur cum aquae ſimplicis deſtillatae partibus ſex. Mixta ſtent per viginti quatuor horas; dein liquor ſupernatans effundatur et reſina, in fundo haerens, ſpatula ferrea eximatur et ſuper chartam albam in loco vmbroſo ſponte exſiccetur. Siccata in aqua tepida manuum ope in bacillos formetur et ad vſum in vaſis bene clauſis reponatur.

Vires.

Licet plerumque ad praeparandam hanc reſinam aqua ſimplex non deſtillata adhibeatur, deſtillata tamen ſemper praeſtat, ſiquidem partes peregrinae craſſiores per deſtillationem ſeparatae ſunt, quae autem in aqua ſimplici non deſtillata ſimul cum particulis reſinoſis coniungi fundumque petere poſſunt. Purior itaque haec reſina cenſenda eſt; caeterum eaedem vires, quae communi modo paratae adſcribuntur, inſunt; fortiter enim ſtimulat, inteſtina vellicat et vehementer purgat.

§. 229

§. 229.

Corallia rubra praecipitatione parata.

Solutioni coralliorum rubrorum, ope aceti ıctae, adfunde ſolutionem ſalis tartari, donec ihil amplius fundum petat. Liquore ſuperna- ınte effuſo praecipitatum edulcoretur, exſiccetur t ad vſum ſeruetur.

Vires.

Licet corallia praecipitata, alias magiſterii omine nota, acidum morboſum in corpore vix dgrediantur, eademque vires peculiares non ha- eant, iſtud tamen praeparatum ob puritatem et ttenuationem aliis efficacioribus remediis pro aſi inſeruire poterit. Cum inſuper terrea haec raecipitata in ſpiritibus alcalinis volatilibus ex arte ſoluantur, ea etiam in obtemperanda acri- ıonia alcaleſcente ſingularem quendam effectum dere valent, inprimis ſi aliorum efficacium ad- ıixtorum ope adiuuantur.

§. 230.

Sulphur antimonii auratum mercuriale.

Scoriis reguli antimonii ſimplicis, aqua ſim- lici per coctionem diu protractam quadantenus olutis, adſunde ſolutionis mercurii, aqua forti ıctae, aliquot guttas. Efferueſcentia ſedata cun- ta filtro chartaceo committantur. Liquori co- ıto rurſus aliquot guttae ſolutionis mercurii in- illentur, et eadem, quae antea, obſeruentur.

Labor ſaepe repetatur, vſque dum nihil amplius praecipitetur. Praecipitata varii coloris ſeorſim ſeruentur et vltimum praecipitatum ad vſum reponatur.

Vires.

Sulphur hoc antimonii mercuriale inſignem vim attenuantem obtinet, viſcidum pituitoſum tenaciſſimum reſoluit, vaſa ſubtiliſſima, viſcido hoc referta, aperit et per colatorium cutaneum inprimis euacuat. Datur a grano vno ad tria in forma pilulari aut cum aqua.

CLASSIS III.

REMEDIA PER CRYSTALLISATIONEM PARANDA.

§. 231.

Cryſtalliſatio ſpecies praecipitationis eſt, ab ea vero differt, quod corpora, ad cryſtalliſationem apta, plerumque quidem fundum vaſis occupant ſed ſingula certam atque determinatam figuram induunt, cum praecipitata, proprie dicta, abſque figura conſpicua fundum petant. Proprie quidem acida cum ſubſtantiis alcalinis vel terreis vel metallicis coniuncta cryſtalliſationem amant et reliquas ſubſtantias compoſitas reſpuunt: cum vero inter ſubſtantias compoſitas nonnullae dentur, quae arctum haud raro connubium cum terreis vel cum metallicis vel

quod

quod inprimis fieri ſolet, cum alcalinis ineunt, accidit ſane, vt, ſi acidum iſtis addatur et commixta ad cryſtalliſationem diſponantur, ſubſtantiae iſtae peregrinae ſimul cryſtalliſentur, quae per ſe alias ad cryſtalliſationem aptae prorſus non ſunt. Sic tartaro emetico cryſtalliſato ſubſtantia, emeſin mouens, ineſt; ſic in nitro flammante cupri particulae deprehenduntur, quando acidum nitri cum ſolutione cupri, ope alcali volatilis facta, commiſcetur et liquor iſte ſalinus cryſtalliſationi exponitur. Itaque ſingularia remedia parari poſſe, ſperandum eſt. Huc inprimis ſpectant ſales medii, qui ex liquoribus, poſt praecipitationem reſiduis, per cryſtalliſationem obtinentur.

§. 232.

Tartarus vitriolatus ſulphureo-regulinus.

Liquor ſalinus poſt praecipitationem ſulphuris antimonii aurati, ope acidi vitriolici factam, reſiduus, accurate percolatus more conſueto euaporetur et ad cryſtalliſationem reponatur. Colliguntur in fundo cryſtalli, vti communi tartaro vitriolato propriae ſunt, eo tamen diſcrimine, quod flaueſcant et ſaporem magis nauſeoſum excitent.

Vires.

Tartarus vitriolatus, hoc modo paratus, ob nonnullas, quas fouet, partes ſulphureas et re-

gulinas viſcidum pituitoſum acidum efficacius, quam tartarus vitriolatus communis, reſoluere et ſpaſmos inde excitatos tollere videtur. Doſis ſcrupulus vnus ad drachmam vnam.

Si loco acidi vitriolici ad praecipitationem ſulphuris antimonii aliud acidum, e. g. acidum nitroſum, vel acidum ſalis communis vel acetum etc. adhibitum fuerit, alia etiam habebis ſalia media, quae pro diuerſa indole diuerſas viſcidi morboſi ſpecies reſoluere valent.

CLASSIS IV.

REMEDIA PER SVBLIMATIONEM PARANDA.

§. 233.

Sublimantur ſubſtantiae ſiccae, quarum partes conſtitutiuae vel omnes volatiles ſunt, vel etiam, ſi fixae ſimul inſint, caedem volatilium ope in altum tolli et volatiles tunc reddi poſſunt. Inter plura corpora, quae huc ſpectant et in vſum medicum conuerti poſſunt, ſulphur, ſales ammoniacales, ſales alcalini volatiles, benzoes flores, camphora, ſal ſuccini acidus praecipua ſiſtunt, quae vel per ſe vel cum aliis fixioribus et volatilibus vel etiam cum fluidis coniuncta remedia maxime actiua praebent. In horum praeparatione

ratione cauendum inprimis eſt, ne ſubſtantiae inter ſe inuicem coniungantur, quae vel indolem venenatam manifeſtant, vel eandem induunt, aut ad minimum noxiae euadunt. Sic arſenicum nunquam ad hanc operationem adhibendum eſt; ſic etiam plurima metalla, ſimili principio inſtructa, nunquam remedia dant; quodque ad fluida ſpectat, olea inprimis vnguinoſa et corpora pinguedinoſa aut alia, ſimili ſubſtantia donata, nunquam adiungenda ſunt, ſiquidem facile rancorem concipiunt ſicque ſubſtantias, corpori humano infeſtas, largiuntur.

§. 234.

Sal volatile oleoſum ſuccinatum.

Cucurbitae vitreae committantur ſalis ammoniaci vulgaris ſicciſſimi partes ſex, ſalis tartari itidem ſicciſſimi partes decem vel duodecim, olei ſuccini rectificati pars vna. Cunctis bene commixtis imponatur alembicus roſtratus, cui recipiens adponatur. Commiſſuris bene clauſis inſtituatur leni igne ſublimatio, tamdiu protrahenda, donec nihil amplius adſcendat. Flores alcalini, ſuccini oleo impraegnati, ociſſime vaſi vitreo ſicciſſimo indantur, eoque bene clauſo in loco ſicco ſeruentur.

Vires.

Alcali volatile ſuccinatum inſignes vires ſtimulantes habet, viſcidum pituitoſum acidum, ſubtiliſſimos canales obſtruens, reſoluit et per

diaphoreſin euacuat, ſpaſmos inde natos tollit, et atoniae, ab eadem cauſa ortae, medetur. Datur a granis tribus ad ſcrupulum ſemis cum aqua deſtillata ſimplici vel alia odorata conuenienti.

Aliis praeterea remediorum praeparationibus eiusmodi alcalia inſeruiunt. Sic cum ſoluto ſale ſuccini memoratum alcali ſuccinatum ad ſaturationem vſque miſceri poterit, et obtinebitur liquor ſuccinatus mediae indolis, reſoluente et neruina vi praeditus.

CLASSIS V.

REMEDIA PER CALCINATIONEM PARANDA.

§. 235.

Calcinatione principium cohaeſionis materiale deſtruitur, ſubſtantiae fixiores magis euoluuntur et ad nouam mutationem ſubeundam aptae euadunt. Hinc producta obtinentur, nouis viribus inſtructa, ita tamen, vt plurima eorum, ſicut ſunt, interno vſui vix deſtinari queant. Complura enim, ſi ingerantur, gluten corporis humani elementare inſigniter mutant et haud raro deſtruunt. Externo autem vſui modo plus ſimplici inſeruiunt, plerumque tamen exſiccant vel partes arrodunt et deſtruunt. Praecipua, quae interne vſurpari poſſunt, terrea ſunt, externe autem ſalino-metallica aut ſalino-terrea in vſum vocanda ſunt. In praeparatione eorum id

id inprimis obſeruandum eſt, vt principium cohaeſionis exacte ſeparetur et ſubſtantiae perfecte friabiles euadant.

§. 236.

Cornu cerui calcinatum.

Capitis mortui cornu cerui quantum placet, imponatur patinae calcinatoriae aut idem crucibulo terreo immittatur. Exponatur igni libero et tamdiu in eo detineatur, donec vndique albedinem perfectam acquiſiuerit. Puluis albus cum aqua commiſceatur et cum ea coniunctus per viginti quatuor horas ſeruetur: aqua poſtea effuſa, ſuper lapidem laeuigatorium maſſa teratur et ſponte exſiccetur. Tum per aliquot dies aeri liberiori exponatur, tandem ad vſum ſeruetur.

Vires.

Terreum hoc, calcinatione paratum et aeri liberiori expoſitum, acrimoniam, ab igne contractam, amittit et remedium ſiſtit, quod acidum primarum viarum deſtruit. Caeterum pluribus remediis actiuis additum pro baſi inſeruit, neque vires eorum mutat.

ORDO III.

REMEDIA CONSISTENTIAE MEDIAE.

§. 237.

Remedia conſiſtentiae mediae vocantur, quae vel ſolo aſpectu vel tactu partes tum ſolidas tum fluidas ſimul oſtendunt et vtrasque coniunctas fouent. In aliis eorum fluidae partes in aliis ſolidae eminent et ſenſu quaſi percipiuntur. Quam ob rem duplex enaſcitur praeparandi modus, alter, vbi fluidae partes lentiores cum ſolidis coniungendae ſunt, alter autem, vbi ſuperfluae fluidae diſſipandae ſunt, quo demum concentratiora et efficaciora obtineantur. Itaque ad hanc claſſem ea, quae euaporatione et inſpiſſatione, ad illam vero, quae per liquefactionem et coagulationem parantur, pertinent.

CLAS-

CLASSIS I.

REMEDIA PER EVAPORATIONEM ET INSPISSATIONEM PARANDA.

§. 238.

Euaporatione partes fluidae cumque his etiam interdum ſolidae abeunt. Non ſolum autem ſolidae volatiles ſed etiam fixae, ſi motus fluidorum impetuoſior eſt, diſſipantur, et ſubſtantiae hanc ob cauſam multum virium amittunt. Quapropter in praepararione eorum eo ſemper allaborandum eſt, vt partes fixiores omnes et, quantum fieri poteſt, volatilium quoque nonnullae retineantur. Cauendum etiam eſt, ne partes, quae lenta euaporatione ſeruantur, ambuſtione corrumpantur. Vitium enim capiunt, priſtinas virtutes exuunt, nouas induunt et ſubſtantias vix ſalutares largiuntur memorata praeparata, ſi igne ſicco vtimur, nec raro, ſi balneum arenae adhibemus. Hinc omnis euaporatio tum ob hanc tum ob illam rationem, ſiue in vaſe aperto, ſiue clauſo inſtituatur, in maris aut vaporis balneo inſtituenda eſt. Sic enim diſſipatio vtilium partium earundemque corruptio optime praecauetur. Praecipua, quae huc ſpectant, remedia, in officinis prae aliis aſſeruanda, ſunt extracta, variae mellis et roob ſpecies tandem ſyrupi.

I. EX-

I.

EXTRACTA.

§. 239.

Ad extracta rite paranda requiritur, vt ſubſtantiis ſolidis conuenientia menſtrua adfundantur, cum iisdem vel digerantur, vel coquantur, per filtrum traiiciantur et leni euaporatione inſpiſſentur. Cumque ſubſtantiae ſolidae ex particulis ſaepe diuerſis componantur, diuerſa etiam menſtrua ſimul adfundenda, ſingula deinde inſpiſſanda, inſpiſſata commiſcenda et denuo rite inſpiſſanda ſunt. Inter menſtrua, ad hanc rem idonea, aqua, acetum, liquores ſalini mediae indolis inprimis ſal ammoniacus liquidus et ſpiritus vini praecipua largiuntur.

§. 240.

Extractum millefolii aquoſum.

Infundatur ſummitatum millefolii pars vna aquae ſimplicis calidae partibus decem. Infuſa digerantur in loco temperato per triduum; poſtea vaporis aut maris balneo per octo horas committantur. Tum liquor effundatur et reſiduum exprimatur: cuncta, per filtrum traiecta, in vaſe euaporatorio balneo vaporis imponantur et euaporatio continuetur, donec in mellis ſpiſſioris conſiſtentiam abeat liquor. Tandem extractum hoc in vaſe vitreo aut terreo ad vſum ſeruetur.

Vires.

Vires.

Extractum milleſolii aquoſum lenem vim reſoluentem cum roborante coniunctam habet et prodeſt, vbi ſolida ob viſcidum pituitoſum laxum relaxantur. Praeterea vlcera interna abſtergit et ad conſolidationem diſponit, lympham nutrientem, naturali tenuiorem factam, condenſat et ad appoſitionem diſponit. Datur a ſcrupulo vno ad drachmam vnam in forma pilularum aut cum aqua milleſolii in potione.

§. 241.

Extractum milleſolii ſpirituoſum.

Summitatum milleſolii pars vna infundatur ſpiritus vini rectificati partibus decem. Infuſa digerantur in loco temperato per aliquot dies, poſtea balneo vaporis per horam impoſita et frigefacta exprimantur, colentur et in retorta, balneo vaporis impoſita, recipiente adglutinata ad mellis conſiſtentiam inſpiſſentur et ad vſum ſerventur.

Vires.

Extractum milleſolii ſpirituoſum vires magis roborantes et exſiccantes, cum balſamicis coniunctas, obtinet. Hinc prodeſt, vbi ſolida ob aquoſam humorum indolem inſigniter relaxata ſunt, et vbi humores ob aquoſam colluuiem condenſatione indigent. Sumitur a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam in forma pilularum aut cum aqua milleſolii in potione.

§. 242.

§. 242.

Extractum millefolii aquoſo-ſpirituoſum.

Commiſceantur extracti millefolii aquoſi et ſpirituoſi partes aequales; addatur ſpiritus vini dephlegmati tantundem. Bene commixta in retorta vitrea, balneo vaporis impoſita, ad mellis fluidioris conſiſtentiam inſpiſſentur et ad vſum ſeruentur.

Vires.

Extractum hoc compoſitum et viribus millefolii ditatum, vim leniſſimam reſoluentem cum roborante et balſamica coniunctam obtinet et conducit, vbi partes laeſae robore indigent, atque putridum, a viſcido vnguinoſo in morbis lentis obortum, corrigendum et partes hanc ob cauſam laeſae conſolidandae ſunt. Doſis et modus vtendi vt in praecedentibus.

§. 243.

Extractum aloes acetoſum.

Aloes ſuccotrinae pars vna commiſceatur cum aceti vini optimi partibus ſex. Digerantur per aliquot dies et, modo deſcripto, §. 240. inſpiſſentur.

Vires.

Extractum aloes, cum aceto paratum, lenes vires purgantes et antiputridas obtinet, minus calefacit et ſtimulat quam aquoſum aloes extractum et in morbis lentis iisque praecipue prodeſt, vbi

bi putridum in viſcido pituitoſo lente euoluitur t partes ſolidas laedit. Datur a ſcrupulo dimilio ad ſcrupulum vnum in forma pilularum aut um infuſo amaricante.

§. 244.

Extractum gummi ammoniaci cum liquore nitri regenerati.

Gummi ammoniaci pars vna digeratur per liquot dies cum liquoris nitri regenerati in loco emperato; poſtea idem, quod §. 240. notatum uit, obſeruetur. Extractum ad vſum ſeruetur.

Vires.

Gummi ammoniacum, hac ratione ſolutum t inſpiſſatum, remedium largitur, quod viſcidum nflammatorium et atrabilarium reſoluit, humoes attenuat et vel ad diaphoreſin vel ad diureſin liſponit. Sumitur a ſcrupulo vno ad drachmam limidiam in aqua mellita. Inſeruit praeterea occe extractum eſſentiae gummi ammoniaci um liquore nitri regenerati parandae.

§. 245.

Extractum myrrhae cum ſale ammoniaco liquido.

Myrrhae electae pars vna commiſceatur cum alis ammoniaci liquidi partibus decem. Cuntis ad modum §. 240. obſeruatis, extractum ad ſum ſeruetur.

Vires.

Vires.

Myrrha, nobile hoc naturae productum, hac ratione tractatum, extractum praebet, quod vires reſoluentes, exſiccantes et antiputridas obtinet, et conducit, vbi vlcera interna, a viſcido vnguinoſo producta, abſtergenda laeſaeque partes ad conſolidationem diſponendae ſunt. Prodeſt inſuper, vbi putredo poſt praegreſſas febres acutas ſenſim ſubnaſcitur. Digeſtionem promouet, bilem acuit et viſcidam ſeu aquoſam corrigit. Datur a ſcrupulo dimidio ad ſcrupulum vnum cum infuſo amaricante aromatico aut aceto.

II.

MELLA.

§. 246.

Mel, accurate diſquiſitum, ſyrupus naturalis eſt: dulcis enim eiusdem ſubſtantia cum oleoſo-mucilagineis aliisque efficacioribus ſubſtantiis mixta eſt. Itaque ratione efficacitatis per artem ſubſtantias efficaces cum melle optime coniungi ideoque nouum compoſitum, nouis viribus inſtructum, produci poſſe, colligendum eſt. Inter ſubſtantias, quae melli admiſcendae ſunt, acida vegetabilia eminent, quae vel per ſe, vel cum aliis corporibus coniuncta, egregia remedia largiuntur. Praeter haec vero et gummoſa vel gummoſo-reſinoſa corpora et acido-dulcia adiungi

poſſunt;

poſſunt; immo amaricantia adeo connubio non aduerſantur. Alcalia vero et ſapones alcaleſcentes vel ad indolem alcaleſcentem vergentes, melli ſi admiſceantur, compoſitum vix laudabile producunt: hinc huic praeparationi eiusmodi ſubſtantiae adhibendae non ſunt.

§. 247.

Oxymel Angelicae.

Cum mellis deſpumati partibus tribus in vaſe terreo non vitreato commiſceantur aceti angelicae, §. 177. partes duae; dein vaſe obtecto leni igne ad ebullitionem vſque coquantur; tandem frigeſcant et ad vſum ſeruentur.

Vires.

Oxymel angelicae vires easdem fere obtinet, quam acetum angelicae, efficacius tamen concreta viſcida reſoluit, magis emollit et ad diaphoreſin et diureſin diſponit. Praeterea putredini, in acutis morbis ſenſim euolutae, aduerſatur et viribus etiam, ob eandem cauſam fractis, proſpicit. Datur a drachmis duabus ad vnciam vnam vel per ſe vel cum aqua quadam analeptica aut ſimplici aut infuſo diaphoretico.

§. 248.

Mel myrrhatum.

Mellis deſpumati partes duae commiſceantur cum myrrhae, ſufficiente quantitate aquae

ſimplicis deſtillatae, ſolutae parte vna. Mixta deinde in vaſe terreo non vitreato leni igne coquantur et ſemel ebulliant. Refrigerata ſeruentur.

Vires.

Mel hoc, myrrhae virtute balſamica imbutum, vlcera interna abſtergit, depurat et ad conſolidationem diſponit: paululum exſiccat, aquoſam colluuiem minuit et calorem quodammodo auget. In genere mel iſtud viſcidum aquoſum iners attenuat et lympham nutrientem, ab eadem cauſa corruptam, corrigit. Datur ad drachmas duas in vehiculo aquoſo.

III.

R O O B.

§. 249.

Roob ſeu Rohob ſunt ſubſtantiae ſpiſſiuſculae ex pulpoſis fructibus contuſis, expreſſis et per coctionem inſpiſſatis paratae. Praeparatio eorum id inprimis requirit, vt membranaceae et terreſtres partes inertes ſeparentur. Iuuat etiam, ſi nonnullis, quorum ſuccus non adeo aquoſus eſt, aqua addatur et cum iisdem coquatur, quo membranaceae partes melius ſeiungi et ſucculentae facilius inſpiſſari poſſint.

§. 250.

Roob Prunorum.

Prunorum damaſcenorum, a nucleis ſeparatorum, et minutim conciſorum quantitate, quae placet,

placet, vas figulinum ita repleatur, vt tertia pars vacua maneat; deinde aqua tanta copia adfundatur, vt quarta tantum vaſis pars vacua relinquatur. Poſthac per duas horas omnia coquantur et bacillo ligneo ſaepe moueantur. Ab igne tum remota et adhuc calida per cribrum, paruis foraminibus pertuſum, traiiciantur; maſſa ſpiſſiuſcula demum, igni rurſus expoſita, ſub continua fere agitatione lente inſpiſſetur et refrigerata ſeruetur.

Vires.

Roob prunorum, hoc modo paratum, lubricante et leni vi ſoluente inſtructum eſt et aliis praeparationibus e. g. electuariis laxantibus inſeruit. Solum ſi vſurpatur, et aqua diluitur, ſiccitati internae medetur et diureſin promouet.

IV.

SYRVPI.

§. 251.

Syrupi ſunt ſucci, ſaccharo inſpiſſati, ſiue ei naturales ſint ſiue ope aquae ex ſubſtantiis minus ſucculentis parati. Ad ſyrupos praeparandos tales inprimis ſubſtantiae adhibendae ſunt, quae ſaporem non adeo ingratum excitant. Quapropter ſubſtantiae acidae aut acido-dulces adhibendae ſunt: in genere tamen ſyruporum numerum in officinis valde imminuendum eſſe, arbi-

 tramur.

tramur. Praeterea ſaccharum magis oleoſum quam cryſtalliſatum adhibendum eſt, quo cryſtalliſatio, vt ſaepe fieri ſolet, impediatur et corruptio praecaueatur.

§. 252.

Syrupus Ribeſiorum.

Succi ribeſiorum partem vnam commiſce cum ſacchari oleoſi, v. g. *Moſcouat* dicti, ſufficiente quantitate ſoluti et per linteum colati, partibus duabus. Bene permixta ſuper lenem ignem ſenſim ad mellis ſpiſſioris conſiſtentiam inſpiſſentur.

Vires.

Syrupus ribeſiorum denſitatem humorum minuit, viſcidum atrabilarium et inflammatorium reſoluit, ſiccitatem tollit, oleoſam humorum partem, nimis motam, cum aquea arctius coniungendo, compeſcit et diureſin adiuuat. Aliis remediis, ob eundem finem praeſcriptis, additus eorum vim adiuuat iisdemque gratiorem ſaporem conciliat.

❀ ❀ ❀

CLAS-

CLASSIS II.

REMEDIA PER LIQVEFACTIONEM ET COAGVLATIONEM PARANDA.

§. 253.

Fuſione, leni igne peragenda, ſeu liquefactione corpora, oleoſis partibus vnguinoſis donata, in fluidum commutantur et eo diſponuntur, vt cum aliis, natura fluidis aut ſolidis accuratius commiſceri poſſint. Fortem ignem eiusmodi ſubſtantiae non ferunt, cum facile mutentur et corruptae penitus euadant. Praeterea volatiles quoque partes, alias retinendae, forti igne in auram abeunt; quapropter leniſſimus calor et talis quidem applicandus eſt, quem maris balneum communicare ſolet. Remedia, quae ad hanc claſſem pertinent, pauca numerabis: praecipua ſunt vnguenta, quae ſi ſolidam magis formam induunt, vnguenta ſtricte ſic dicta vocantur, ſin vero fluida magis ſunt, linimenta audiunt.

§. 254.

Sunt itaque vnguenta remedia compoſita, tactu mollia, plus minus fluida, externo vſui deſtinata, et parantur ex ſubſtantiis inprimis pinguibus, quibuscum olea vel preſſa vel deſtillata et reſinoſa aut gummoſa corpora per fuſionem le-

nem coniunguntur. Numerus eorum itidem in officinis imminuendus eſt, licet non negandum ſit, ea vtilitate deſtituta non eſſe. Poſſunt quidem aliae quoque ſubſtantiae, oleoſis partibus deſtitutae, ſimul adiungi, cum vero talis praeparatio ſola trituratione abſque fuſione leni et, vt dicunt, ex tempore inſtitui poſſit, ea tantum vnguenta, quae aliquod tempus in praeparatione requirunt, praeſto eſſe debent, quo poſtmodum faciliori negotio ſtatimque alia, magis compoſita, praeparari queant. Caeterum vnguenta ad longum tempus adſeruanda non ſunt, cum facile corruptionem contrahant et indolem ſalutarem exuant.

§. 255.

Vnguentum olei oliuarum.

Seui ceruini portio pro arbitrio committatur vaſculo vitreo; addatur olei oliuarum portio aequalis: imponatur vaſculum balneo vaporis; liquefacta ſpatula lignea commiſceantur et bene commixta ab igne remoueantur et frigeſcant.

Vires.

Vnguentum hoc oleoſum partibus externe affrictum, emollit et ad ſuppurationem diſponit et eſcharas ſeparat. Aliis inſuper vnguentis extemporalibus inſeruit: e. g. ſi in olei terebinthinae partibus tribus ſoluuntur camphorae partes duae, hisque demum dicti vnguenti oleoſi adduntur partes quinque vel ſex, eaeque per triturationem

nem bene commiſcentur, vnguentum camphoratum habebis, quod praeter vim emollientem, diſcutientem quoque et reſoluentem obtinet.

Si ſola tantum commiſcendorum proportio variat, ita, vt haec ipſa fluida magis ſint, linimentum erit. Sic ſi cum ſeui ceruini, leni igne liquefacti, parte vna commiſcentur olei terebinthinae camphorati partes tres aut quatuor, linimentum camphoratum habebis, quod eandem vim exercet, praeter id, quod minus emolliat et efficacius paulo reſoluat.

§. 256.

Haec exempli loco adduxiſſe, ſufficiat. Multo plura quidem addi potuiſſent, ſed inſtituti ratio in praeſenti prolixitatem vetat. Fatemur inſuper, nonnulla adhuc praeparata, in officinis hactenus vſitata, deſiderari poſſe: ſic v. g. confectiones, condita, conſeruae, rotulae, morſuli, trochiſci, taedae et alia eiusmodi plura in officinis proſtant, quorum nulla a nobis facta eſt mentio; cum vero iſta praeparata ita comparata eſſe videantur, vt abſque vlla iactura ex officinis exulare poſſint, ſicco pede ea tranſire, conſultum duximus. Optandum etiam eſt, vt eiusmodi praeparata, remediorum nomine non inſignienda, eiiciantur, quo labores pharmacopoei imminuantur et tempus, in his alias con-

ſumendum, aliis vtilioribus eorundemque rectae praeparationi impendatur. Nihil magis demum in votis eſt, quam vt delineationem hanc pharmaciae, ad cuius normam perfectior pharmacopoea elaborari poſſit, quamque in vſum medicinae practicae communicamus, Lectores Beneuoli bonam in partem interpretentur.

INDEX.

INDEX.

NVMERVS §. INDICAT.

A.

Acetum caſtorei abſtractitium 161
- compoſitum ſ. medicatum quid 170
- oleoſo-ſpirituoſum vt agat 143
- vini deſtillatum vt remedium 84
- — vt menſtruum 86
- — non deſtillatum vt remedium 83
- — vt menſtruum 85
- — ſpirituoſum deſtillatum vr agat 133
:ida mineralia ſpirituoſa vt agant 131
- — vt menſtrua 76. ſeqq.
lſtrictio remediorum qualitas 48
calia 89
- fixa vt agant in corpus ſanum et morboſum 90 ſeq.
- — vt menſtrua 92
- volatilia vt agant 93
- — empyreumatica etc. 95
oes eſſentia cum ſale ammoniaco liquido ſpirituoſo 204
- extractum acetoſum 243

Angelicae radicis oxymel 24

Aniſi ſeminis eſſentia cum ſpiritu vitrioli dulci 20

— ſtellati eſſentia cum ſpiritu alcalino volatili ſpi-
rituoſo 20

Antimonii ſulphur auratum mercuriale 23

— — tinctura tartariſata vt agat 12

— — — cum balſamo peruuiano 19

— — — cum oleo amygdalarum 19

— — — cum oleo ſuccini 19

Aqua ſimplex deſtillata vt agat in C. H. 7

— — — vt menſtruum 7

Aquae deſtillatae 149. ſeq

— — quomodo parentur 1

— — ſimplices et cohobatae 15

Arcani duplicati liquor vt agat 9

Aſae foetidae eſſentia cum liquore C. C. ſuccina 18

— — — cum ſale ammoniaco liquido empyre-
matico ſpirituoſo 2

Attenuatio, remediorum qualitas 5

Aurantiorum corticum eſſentia cum acido vitrio 17

B.

Balnea eorumque differentia 1

Balneum arenae 2

— maris 2

— vaporis 2

Ball

ſama ſolida 222
ſami de copaiua tinctura cum liquore ſalis digeſtiui balſamici 197
peruuiani tinctura cum liquore nitri regenerati 180

C.

mphorae ſapo 221
rlinae radicis tinctura cum acido vitrioli ſpirituoſo 199
ſcarillae corticis eſſentia cum ſpiritu vitrioli dulci 206
aſtorei acetum abſtractitium 161
- eſſentia cum ſale ammoniaco liquido empyreumatico 184
- infuſum 173
- ſpiritus alcalinus foetidus 164
entaurii minoris elixir cum alcali fixo 178
— — eſſentia alcalino-ſpirituoſa 202
erui cornu calcinatum 236
— — oleum foeditum 167
— — — rectificatum 168
hamomillae oleum infuſum 187
innamomi corticis acetum ſpirituoſum 200
— — aqua deſtillata 151
— — ſpiritus abſtractitius 155
itri corticis acetum 177

Citri

Citri ſucci effectus in C. H.
— ſuccus vt menſtruum
Condenſantia remedia quid
Condenſatio humorum per remedia
Corallia rubra per praecipitationem parata 2
Corrigens vis, remediorum qualitas
Croci eſſentia cum ſpiritu vitrioli dulci 2

D.

Denſitas humorum quomodo per remedia auge-tur
Diluentia remedia quid

E.

Elixirium 17
Emollitio, remediorum qualitas 4
Emplaſtra 22
Emplaſtrum de gummi galbano 22
Emulſa 21
Eſſentia 17
Extracta 23

F.

Fluiditas quid 6
Fluidum remedium quid i
— — particulas, iam agentes, continet 6
Fluidorum remediorum particulae actiuae quomod agant 6
— — praeparatio vt inſtituenda 6

Foen

niculi balſamum 223
essentia cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo 196
oleum cum aloe digeſtum 186
— deſtillatum 166
ſpiritus alcalinus 163
nariae eſſentia cum ſpiritu vini tartariſato 195
norum varietas in officinis pharmaceuticis non requiritur 17
nus deſtillatorius in officinis pharmaceuticis prae reliquis requiritur 16
extemporaneus plurimis operationibus inſeruit 17
cum veſica nullum vſum habet 18
Piger Henricus dictus non laudatur 16

G.

ntianae rubrae radicis decoctum cum liquore tartari vitriolati 210
— eſſentia cum ſpiritu vini 189
ajaci ligni decoctum cum ſolutione ſalis ammoniaci vulgaris 211
mmi ammoniaci decoctum cum hydromelle 212
— emulſio oleoſo-ſaponacea 214
— eſſentia cum liquore nitri regenerati 244
galbani emplaſtrum 225

H. Hu-

H.

Humorum C. H. attenuatio per remedia
— condenſatio etc.
— indoles morboſa
— inſpiſſatio per remedia
— particulae conſtitutiuae
— rarefactio per remedia
— ſpiſſitudo huiusque differentia 35. ſq
— tenuitas nimia

I.

Ialappae reſina 2
Imperatoriae radicis tinctura cum acido vitrioli 1
Incraſſantia remedia quid
Infuſa 1
— aquoſa 1
— cum menſtruis compoſitis parata 1
— inflammabilia 1
— ſalina 1
Infuſorum praeparandorum modus 1
— ſpecies 1
Inuoluens vis, remediorum qualitas
Irritabilitas a particulis inflammabilibus et ſalinis depe-
det 44.
— a remediis augetur et minuitur
— excitatur a fluido nerueo et medicamen-
— in glutine ſolidorum latet 44. ſe

Ir

itatio, remediorum qualitas 46
manifeſtatur in lingua per ſaporem 47
— — per ſtimulum 46

L.

xitas ſolidorum quomodo a remediis inducatur 49
nimentum quid 255
quor alcalinus ſpirituoſus vt agat 134
— volatilis ſpirituoſus etc. 135
- anodynus mineralis vid. vitrioli acid.
- cornu cerui ſuccinatus vt menſtruum 109
- terrae foliatae tartari vt agat 102

M.

ledicamentum vid. Remedium
lenſtrua acida vid. acida.
– alcalina. vid. alcalia.
– aquea 70. ſeqq.
– compoſita 120. ſeqq.
– inflammabilia 110. ſeqq.
– oleoſa 111. ſeqq.
– oleoſo-ſpirituoſa 137. ſeqq.
– pharmaceutica 68
– ſalina 74. ſeqq.
– --- mediae indolis 96. ſeqq.
– ſalino-oleoſa 127. ſeqq.

Menſtrua

Menſtrua oleoſo-ſpirituoſa 141. ſeqq.
— --- ſaponacea 121. ſeqq.
— --- ſpirituoſa 130. ſeqq.
— ſpirituoſa 114. ſeqq.
Menſtruorum pharmaceuticorum diuerſitas 69
Mella 246
Mel myrrhatum 248
Millefolii extractum aquoſum 240
— — aquoſo-ſpirituoſum 24[illegible]
— — ſpirituoſum 241
Myrrhae acetum ſpirituoſum 201
— elixirium acetoſo-ſpirituoſum ib.
— eſſentia cum liquore terrae foliatae tartari 181
— extractum cum ſale ammoniaco liquido 24[illegible]
— oleum infuſum 188

N.

Naphtha vitrioli. vid. vitrioli acid.
Nitri acidum vt agat 79 ſeqq.
— flammantis liquor etc. 10[illegible]
— ſpiritus dulcis actio 13[illegible]
— regenerati liquor vt agat 10[illegible]

O.

Odor remediorum balſamicus 5[illegible]
— foetidus ib.
— gratus ib.
— nauſeoſus ib.

Odor

Odor remediorum particulas actiuas manifeſtat 55. ſeqq
— ſpirituoſus 56
Offae helmontianae efficacia 125
Officinae pharmaceuticae qualitates 10
Olea aetherea vt agant 113
— vnguinoſa etc. 112
Olei oliuarum vnguentum 255
Oleorum deſtillatorum praeparatio 165
— — vires 166

P.

Pharmacia quid 1
— quid praeſtet 4
Pharmaciae inſtrumenta paſſiua 13
— — actiua, vid. menſtrua.
— obiecta 2
— vtilitas 8. ſeq.
Pharmacopaei dotes 23. ſeqq.
— labores 26. ſeqq.
Pharmacopoeo quid ratione remediorum inueniendorum obſeruandum 33. ſeqq.
Pimpinellae albae radicis eſſentia cum tinctura antimonii tartariſata 191
Praecipitata 226
Producta pharmaceutica 42
Productorum pharmaceuticorum qualitates inſitae 43. ſeqq.
— — — pharmaceuticae 59. ſeqq.

Prunorum roob 250
Purgantia cum liquore terrae foliatae tartari 181

Q.

Qualitates remediorum in lingua manifeſtantur 46. ſeqq.
— — inſitae 43. ſeqq.
— — olfactu deteguntur 55. ſeqq.
— — pharmaceuticae 59. ſeqq.

R.

Remedia conſiſtentiae mediae quid 66
— — — quomodo parentur 237
— fluida 147
— per calcinationem parantur 235
— — coagulationem etc. 218
— — coctionem etc. 209
— — cryſtallifationem etc. 231
— — deſtillationem etc. 148
— — euaporationem et inſpiſſationem etc. 238
— — infuſionem etc. 169
— — liquefactionem et coagulationem etc. 253
— — ſublimationem etc. 233
— ſimplicia optimae indolis requiruntur 11
— ſolida ex actiuis et inertibus particulis componuntur 216
— — quid ib.

Remediorum diuerſi effectus a diuerſa euolutione particularum actiuarum 6
— ordines 146
— particulae actiuae diuerſae 6
— — conſtitutiuae 5
— — ſalutares cum alimentoſis connexae 7
— — — venenatis coniunctae ib.
— pharmaceuticorum praeparatio accurata requiritur 12
— — — quid requirat 67
— ſimplicium praeparatio diuerſa vires mutat 12
— ſolidorum actio in corpus humanum 217
— — euolutio ib.
Reſolutio, remediorum qualitas 52
Reſoluentia remedia quid ib.
Ribeſiorum ſyrupus 252
Robur ſolidorum quomodo a remediis producatur 48
Roob 249
— prunorum 250

S.

Sal ammoniacum liquidum vt agat 108
Salia media oleoſo-ſpirituoſa etc. 144
— — ſoluta etc. 96. ſeqq.
— — ſpirituoſa etc. 136
— volatilia oleoſa liquida etc. 142
Salis ammoniaci ſecreti Glauberi liquor etc. 106

Salis ammoniaci regenerati liquor etc. 105
— — ſpiritus vinoſus etc. 126
— — vulgaris liquor etc. 104
— communis acidum etc. 81
— — ſpiritus dulcis etc. 140
— digeſtiui empyreumatici liquor etc. 129
— — oleoſi balſamici liquor etc. 128
— — Syluii liquor etc. 101
— mirabilis Glauberi liquor etc. 99
Salium mediorum diuerſitas 96
Sapones quid 219
Sapo camphoratus 221
— medicatus 220
Sapor actiuas remediorum particulas indicat 47
— remediorum qualitas ib.
Saporis ſpecies ib.
Spiritus quid 153
— acidi abſtractitii 160
— — dulcificati 156
— ardentes vt differant 115
— vini laudes limitandae 117
— — menſtruum vniuerſale non eſt ib.
— — praeparationi acidi vitrioli dulcis inſeruiens 158
— — reliquis ſpiritibus ardentibus praeferendus 114
— — tartariſatus vt agat 124
— — vt menſtruum 118. ſeq.

Spiri-

piritunm ardentium effectus in C. H. 116
timulus remediorum rodens a naribus ſuſceptus quid indicet 52
uccini ſal acidum vt agat 82
- olei cum ſale alcalino volatili combinatio per ſublimationem 234
yrupi 251

T.

'artari cremor praecipitatus 227
- tartariſati liquor vt agat 103
- vitriolati liquor etc. 97
'artarus vitriolatus ſulphureo-regulinus 232
'erebinthinae emulſio cum ſapone veneto 215
'inctura quid 170
- Harveyana et Helmontiana vt agat 123

V.

'alerianae radicis tinctura cum liquore ſalis digeſtiui empyreumatici 198
'aſa lignea et metallica neceſſaria non ſunt 14
- metallica reiiciuntur 15
- operationibus inſeruientia ib.
- vitrea optima 14
'aſorum pharmaceuticorum indoles ib.
'enenum quid 2
- num medicamentorum vim exerceat 3

Vitrioli acidum vt agat 77. ſe
— naphtha 1
— ſpiritus dulcis 1
— — — vt agat 1
Vnguenta 2
Vnguentum olei oliuarum 2

EME

EMENDANDA.

3. lin. 4. pharmocopoei l. pharmacopoei. p. 13. l. 4. ſuparandae
ſuperandae. p. 38. l. 9. *adde* i. p. 50. l. 23. falſo l. ſalſo.
63. l. 3. mobiles *adde* vero. p. 66. l. 8. adiuncta. l. adiunctae.
74. l. 5. aligenda l. eligenda. p. 77. l. 20. volatilibus *adde* em-
yreumaticis. p. 83. l. 11. illum l. illam. p. 84. l. 15. digeſtum
digeſtus. p. 89. l. 7. *deleatur* in. p. 117. l. 5. adhibitum l. ad
ibitum. p. 117. l. 21. eorundemque l. earundemque. p. 124. l. 5.
t l. eſto. p. 176. l. 1. §. 325. l. §. 225. p. 187. l. 11. praepara-
one l. praeparatione.